Apol.

CLYPEVS
POLITICO-
JURIDICUS,

CONTRA

Manifestè patefactam Monarchiæ Universalis adstruendæ machinationem,

Vano Jurium Serenissimæ Galliarum Reginæ colore palliatam.

BRUXELLÆ,
Apud FRANCISCUM FOPPENS, sub signo Sancti Spiritus.

M. DC. LXVII.

INDEX ARTICULORUM.

PRÆFATIO.

DVm à diuturnis funesti Belli calamitatibus optatæ Pacis in otio tantisper respiramus, & jurato fœdere, & recentissimè innovatis Galliæ promissis (ut putabamus) bene securi, ecce ingens Belli apparatus è vicino aures ferit, clandestina conspiratio de prodendâ præcipuâ Provinciæ Vrbe, Gubernatoris nostri intenti in omnia animi, ac indefessâ sollicitudine detecta, somnum repentè excutit, vixque oculos aperimus, cùm his obvolitant varii Libelli, (Bellorum uti fieri assolet prænuntii) per Vrbes Provinciasque sparsi, ad Nobiles Civesque à legitimi Principis obsequio abducendos, idque fucato colore Iurium (ut obtendunt) Reginæ Christianissimæ in omnes ferè Belgii Regii ditiones: primus ex his Libellis titulum præfert: Dialogus de Juribus Reginæ Christianissimæ. *Alter inscriptus:* Jura Reginæ Christianissimæ in Ducatum Brabantiæ, & alios ditionis Hispanicæ Principatus, *tertius*, quatuor supra

ſeptuaginta rationes *exhibet*, probantes luce meridianâ clariùs renunciationem à Regina factam nullam eſſe.

In hoc autem unum ſcripta omnia collimare videntur, ut concluſæ ad Pyrenæos limites, Pacis fundamentum ſubruant, dum nituntur evincere, invalidam eſſe abdicationem, quâ Regina Chriſtianiſsima, nuptiarum paciſque causâ, ſolemni addito Juramento renuntiavit Juribus quibuſvis, ipſi quocumque titulo competentibus, quo aggere perrupto, jus ſibi aſſerere nituntur in Ducatum Brabantiæ, ditioneſque illi annexas, Dominium Mechlinienſe, Antuerpiam, ſuperiorem Geldriam, Namurcum, Limburgum & Regionem Ultra-Moſanam, Hannoniam, Arteſiam, Cameracum, Comitatum Burgundiæ, & Ducatum Luxemburgenſem.

Libellos omnes ubi attentè pervolvi, inducere primâ fronte in animum non potui, cum approbatione Aulæ Gallicæ fuiſſe evulgatos, habuique aliquamdiu tamquam ſcripta circumforanea, protruſa ab hominibus otioſis, à ſubtiliori quàm verio-

ri paradoxi defensione, quamdam ingenii laudem affectantibus. Et sanè operum istorum deductio minùs ordinata, argumentorum substructio minùs firma, & scriptionis forma minùs decens, quàm ut persuadere ipse mihi potuerim authoritate publicà esse suffulta. Ad hæc credebam, numquam fore, ut Rex Christianissimus quidcumque demum Juris prætenderet contra Principem, tot sanguinis, affinitatis, & amicitiæ vinculis sibi junctum, & actionem causæ suæ ab invasione & subditorum seductione inchoaret, sed expertum prius alia omnia, & horridas tormentorum voces ultimum fore causæ suæ præsidium. Firmabant persuasionem illam, speciosa Regis Christianissimi verba, quibus tum coram Legato nostro Marchione de la Fuente, tum per Oratorem suum Aulæ Hispanicæ addixit, ictam Pacem religiosissimè à se servandam, quibus promissis, ut faciliùs fidem adhiberemus, & Arbitrum conciliandæ cum Lusitano concordiæ obtulit se, & ad arctiùs fœdus, pactaque nunquam dissolvendæ amicitiæ ultrò sollicitavit, nihil prætermit-

rem, titulos omnes Juris, quos grandibus molitionibus suis Gallia prætexit, quæsitos inanesque colores esse, quibus inexplebilem ambitionem, ad Monarchiam novis semper accessibus grassantibus nititur velare, atque Justitiæ speciosâ tectam larvâ Orbi Christiano obtrudere. Istud impulit me ut scripta illa attentiùs perlegerem, excluso omni affectu singula excuterem, rationum maturiùs expenderem momenta, fines & his adjuncta penitiùs inspicerem, quod postquam accuratè præstiti, postquam Libellos sigillatim evolvi, Authores celebriores, qui hoc de Argumento scripserunt adii, Tractatum Pacis & Nuptiarum, Abdicationisque formulam examinavi, viros etiam in legum & consuetudinum nostratium usu versatissimos consului, mente nullo præjudicio occupatâ, agnovi, judicavique Gallica postulata, non modo Juri Publico, usui in successionibus supremi Dominatûs semper observato, bonæ denique fidei contractuum inter Reges, ad quietem Populi & Regnorum conservationem initorum repugnare, sed ab ipso quoque

privato

privato jure, quod in ordinandâ familiâ sequuntur privati, consuetudinibusque municipalibus, quas singulæ Provinciæ, Urbesque retinent, Principum suorum expresso tacitove consensu approbatas, longissimè dissidere.

Deprehendi præterea tot in allegationibus falsissima commenta, tot insolentes invectivas Majestati Regis demortui gloriosissimæ memoriæ probrosas, tot subdolos malignantis fraudulentiæ astus, ad abalienandos à legitimo Domino subditorum animos, passim inspersos; tot hyperbolicas exegeses, vicinis Principibus decipiendis vaferrimè adornatas, tot perversa axiomata, perniciosas toti Christiano orbi sequelas inferentia, ut ægrè potuerim assequi qui fieri potuerit, ut viri qui eruditionem ac politices notitiam profitentur, res tam malè secum, ac cum veritate cohærentes, ausi sint censuræ publicæ objicere: id ipsum eò acriùs exstimulat me ad operis hujus aggressionem, quo clariùs perspicio, & quantum referat ad publicum bonum, impunitam non manere audaciam, in comminiscendo

tam effrontem, & quanti reliquis Regnis, Populisque hoc negotium intersit, ut proinde putem me non privatam Belgii Catholici, sed totius orbis in hoc scripto causam agere. Enimverò rem permolestam & indignam, videre ad viti litigatorum forenses cavillos trahi controversiam Regum, tam sancto decisam Pacis fœdere, à cujus religiosâ conservatione perpetuam tranquillitatem sibi Christianus orbis pollicebatur: verùm cùm nec bona causa judicem etiam iniquum, nec rectè sibi mens conscia, censuram vel mordacissimam reformidet, fidenter ingrediar arenam, certus tot adfore mihi æquitatis, quam tueor, & testes & patronos, quot cordatos viros ipsa etiam habet Gallia, qui ex ratione, non depravato affectu judicant.

Quamquam & de eo dubitari non possit, an approbante Christianissimo Rege, scripta hæc, tam atrocibus respersa calumniis, in lucem prodierint: ægrè credidero sanè, hæc ab eo perlecta. Verùm (quia gloriæ ejus faveo) in illam faciliùs opinionem inducor, tum alia Regni negotia,

tum animi contentionem vehementiorem, quâ totus ad Belli apparatum incubuit, adeò illum occupasse, ut otium defuerit, quo vel levi oculo percurreret Libellos, & à Regia indole tam dissidentes, & tam parùm honorificos dignitati, sed alieno fidentem judicio, in hæc consilia abductum, cum ingenitâ sibi propensione, quâ fertur ad amplificandum armis Imperium, nomenque immortalitati consecrandum, tùm suggestionibus eorum, qui privati commodi causâ, illum extra regnum Bellis optant implicari: Profectò natura illius generosior, tenerior erga Reginam conjugem amor, quam ut sciens permittat tam indignè lacerari famam soceri Regis defuncti: propiùs illum tangit communis Regum causa, quàm ut patiatur horum Majestatem tam mordacibus calumniantium scriptorum calamis configi: major illi Justitiæ cura, qnam ut sinat optimum Regem, amantissimum patrem traduci, tamquam Tyrannum, qui violenter ad iniqua filiam cogat, tamquam barbarum, qui illam hæreditate privet, denique tamquam impostorem qui illi fictitiam

dotem assignet. Nobiliores animos gerit Rex Christianissimus, quàm ut tricetur de reculis, quàm ut minutatim, & quasi per inventarium rationes exigat de monilibus Reginæ Socrûs, & orbem universum novis Bellorum motibus perturbet, privati & tantilli emolumenti causâ, de quo vel inter plebeïos cives, si quando dotis gratiâ litigium oritur, ex delectorum Arbitrorum judicio amica solet conventio iniri: non ignorat etiam non fuisse arctis notariorum clausulis constrictam liberalitatem Regis erga filiam, quam se ipso habuit cariorem, novit & ante & post connubium non desiisse accumulare illi munera, imò cum quadam, prope dixerim, notâ prodigalitatis à se abdicasse Ditiones & Provincias, ut florentissimi Regni coronâ redimiretur, & ut absolvam, prudentior est, veritatisque studiosior, quàm ut fidem adhibeat tot tamque falsis commentis, adeò parùm aptè congestis, quæ si consideratiùs inspexisset, commovissent indubiè justâ indignatione contra eos, qui tam impudenter regio abutuntur nomine, atque id agunt, ut armis causam nullo jure

re suffultam prosequatur, famam dedecoris periculo exponat.

Hinc ego in spem erigor fore ut ubi firma, & inconcussa quibus Catholici Regis Jus innititur fundamenta proposuero, rationum soliditas non tantùm valitura sit, ad retinendos confirmandosq́ in fide subjectos, ad liberandos errore Principes externos, sed illapsa in animum Regis Christianissimi, eò deductura, ut manifestæ cedens veritati, alio & justiori & laudabiliori modo quærat Regni gloriæque propagationem, quàm injustâ pupilli Regis oppressione, aut saltem mitiorem, honestioremque viam ingressurus sit, quâ ad plenam æquitatis notitiam pertingat. Quod si tamen arcanis Dei Judiciis eveniat, ut hac ratione nihil assequamur eorum, quæ à Prudentiâ, & Justitiâ tanti Regis, & potuimus, & debuimus sperare, eà solabitur cogitatio, nihil prætermissum à me quod conducere valeret ad dissipandam tempestatem orbi Christiano, dira ac tristia comminantem, sperabo etiam non permissurum Numen, ut qui causâ vincimus, armis vincamur,

mur, ſed illum cui in ipſos Imperium eſt Reges, ſtaturum pro æquitate, & ex promiſſo ſuo, Pupillum & Viduam ſuſcepturum.

Pſal.145. v.9.

Ut ſeditioſorum illorum Scriptorum, & cum veritate & ſecum pugnans falſitas plenâ in luce collocaretur, neceſſe foret, quod Anatomici faciunt membratim ea ſecare, & ſigillatim quæque excutere: verùm quia grandiùs volumen ea ſcriptionis forma poſtularet, ad quod modò, circumſonantibus armis, tempus deeſt, interea dum ad iſtud otium dabitur, ſatisfore putavi, ſi præcipua controverſiæ puncta excerpam, fundamenta quibus malè innituntur ſubruam, contraria ſtabiliam, prætaritiſque mille parergis ad augendam operis molem, ac intricandos Lectorum animos, prorsùs extra Argumentum intruſis, ipſum diſputationis caput aggrediar. Hoc dum enitor, Lectorem rogo, attentam cum oculis mentem afferat, quæq; de tota re ita pronuntiet, tamquam ex qua nil ſibi damni commodique obvenire poßit, ſi tamen affectus eâ ratione aliquis eſſe poßit, quando omnes hæc cauſa attingit, & inevitabilem

bilem malorum communionem minatur.

Quamvis autem in tota hac dissertatione istud mihi proposuerim, ut eâ moderatione & levitate stylum temperarem, quam & decori ratio, & propensum Pacis studium exposcit: adeò tamen crudum acidumq́ quod aggredior Argumentum est, ut propè desperem fieri posse, quin pungat subindè calamus, licet non acuerim, dum quantumvis devito aspera materiæ acrimonia in hunc sese instillat. Istud enim agitur ut Orbi universo pateat, Bellum hoc injustum esse, caduca labare quæ jaciuntur illius fundamenta, meros quæsitosq́ue prætextus esse, qui pro veris solidisq́ rationibus ostentantur, & sub hoc apparenti fuco vastas molitiones occuli, falsa esse quæ allegantur, nihil ex æquo, per vim omnia agi, designationes, finesq́ue pessimos, consecutiones plenas discriminis esse, justæ defensionis dura necessitas, invitos cogit hæc proferre in lucem. Appello ad præstantissima Politicorum ingenia, exercitatissimas manus, an istiusmodi res sic exprimi possint, ut non ab Argumento aculeum stylus trahat, an secari sic queat

nova-

novaculâ ad imum fundum vulnus, ut doloris sensu nullo æger afficiatur, percuperem sic possem res exponere, ut nec nominarem, aut officioso verborum colore in aliam formam transferrem, atqui hoc, nisi naturam, substantiamq; rerum destruas, fieri nequit: nec rarò laceratæ illæ verborum dißimulationes, & phalerati joci pungunt acriùs, altiùs vulnerant, quàm nativo in candore expressa veritas soleat. Lectorem oro, certò sibi persuadeat, propositum mihi esse sic tractare res, ut non attingam personas, quod si autem operis ratio violenta, aut querimonias, aut expostulationes mihi exprimat, solemniter protestor nolle me omninò ut ad sacram Christianißimi Regis personam, vel eminùs pertingant, illudque profiteor me malorum quæ intentantur labem & causam Scriptoribus tantùm illis adscribere, qui tamquam Belli faculæ, spargunt incendia, & cupiditate rerum novandarum & designatione, magis fortasse proprio Regi, quàm nobis perniciosâ, tam intempestivè, levesque adeò ob causas, cornua ac lituos inflarunt.

CLYPEUS POLITICO-JURIDICUS,

CONTRA

Manifestè patefactam Monarchiæ Universalis adstruendæ machinationem, vano Jurium Serenissimæ Galliarum Reginæ colore palliatam.

ARTICULUS I.

De fine quem Gallia sibi in hoc Bello, & Libellis præfigit.

INDUSTRIAM omnem stylumque Libellorum Author eo magis convertit, ut Regis sui proposito colorem aliquem inducat æquitatis, quàm ut hujus fundamenta producat stabiliatque: dum hoc agit, aret illi serpitque calamus, dum istud, torrentem selectissimorum verborum fundit, superfluis vanisque amplificationibus exundantem, in istud intentus ut eloquentiæ fuco, deformem causam speciosâ larvâ honestet, temerè præsumens rei naturam, novi nominis inditione posse mutari: multis extollit curam, qua de pace servanda laboret Rex suus, tunc nempè cùm hanc parat dissolvere; læsum se queritur, dum ferit; rapit dum rogat; litem simul intentat ac definit; Pacem petit, & infert Bellum; invadit nec tamen ictum fœdus dissolvit; cogit nec tamen vim adhibet, tantâque sui fiduciâ,

 nostri-

noſtrique contemptu Lectoribus illudit, ut viam facti pro Juſtitiâ, vim pro moderatione, uſurpationem pro titulo, & ipſammet defenſionem noſtram pro rebellione venditare non erubeſcat, & modo conatus Gallicos, odioſo Belli nomine, ad ſpeciem expurget, omnes Belli atrocitates, ſub Pacis larvâ impunè exerceri poſſe confidit; naſcitur ſcilicet hæc perſuaſio, ex vili opinione quam de reliquis nationibus conceperunt, quas adeo agreſtis ingenii, obtuſæque eſſe putant ſimplicitatis, tam diſſita ab omni ſpecie veri ſibi ut ſinant perſuaderi, & jactare deinde poſſint faceto ſarcaſmo (pro familiari nempe ſibi urbanitate, quâ nobiliſſimos populos de ridiculo habent) *ſe nos pro Germanis habuiſſe.* Geminum in finem (uti facile cuivis aſſequi) iſtud craſſioris aſtutiæ artificium collimat: alter eſt ut dum injuſtas ſuas molitiones, eo pallio involvunt, offenſam quam apud omnes Europæ Principes, ob turbatam orbis Pacem, ſe prævident incurſuros, aliquantum leniant. Alter verò dum defenſionem noſtram, tamquam Pacis violationem diffamant, honeſto in ſpeciem prætextu, urgere Confœderatos ad jungenda ſecum Arma poſſint, vel eos inde Bello impetere, utpote reos non ſervati fœderis de mutua tutela initi, unde manifeſtò liquet, quod pro eo dominatu quem in amicos ac inimicos æqualiter affectant, cum utriſque agant tam imperiosè, ut ne Pacem violes, omnia illis cedere; ne contractæ deſis ſocietati, eis ad omnia rapienda ſuffragari neceſſe ſit. Sed enim ut inſtituti hujus iniquitas, omnibus pateat, ſuffecerit Tractatum Pacis cum Imperio ſancitæ, Articulo de mutua defenſione, aliumque ſocietatis cum Principibus ad Tractum Rheni inſpexiſſe, continuò enim quiſque agnoſcet, primò obligationem ferendi invicem auxilii non niſi eas ditiones ſpectare, quas tunc Gallia in Imperio poſſideret, cum fœdera illa concluſa ſunt, non verò ad nova acquiſita aut prætenſa dilatari, ſecundò animadvertet non niſi contra invaſores mutua auxilia promitti, alioquin graviſſimæ ſervitutis onus humeris ſuis Imperii Principes impoſuiſſent, ſi cogerentur ex pactis, inexple-

bili confœderati Regni ambitioni ſubſervire, hujus dominatum & pretio ſanguinis ſui, & propriæ periculo ſecuritatis amplificare, & toties ſtringere manu ferrum, quoties calamum libuerit ſcriptoribus Gallis ad nova Regni ſui jura comminiſcenda.

Non ſatis eſt tamen ſubdolos machinationum Gallicarum fines detexiſſe, ſed refert plurimum in ſenſa illorum intima penetrare, ſi iis quæ paſſim evulgant fas eſt credere, nil aliud ſpectant quàm honeſtam cum Hiſpania conventionem, ipſi invitant exteros Principes, ut velint controverſiam amico arbitrio componere, æquis conditionibus ſeſe lubenter aſſenſuros, invitos ſe cogi ad Arma, volentes ea depoſituros, illorumque acquieturos ſententiis, qui naſcenti diſſidio ſopiendo voluerint operam impendere, videamus num à dictis facta non diſcrepent. *Spectemur agendo.*

Omnia illorum ſtudia conatuſque ad grandius aliquid, quàm quod ipſi præferunt, collineant, numeroſi illi exercitus, illa prodigioſa & enormis pecuniæ profuſio, novis ſemper conciliandis fœderibus, corrumpendiſque Miniſtris impenſa, implexa conſilia, quibus illos Bellis detinent intricatos, quos molitionibus ſuis ſuſpicantur obſtituros, ſollicitati repetitis precibus, ingentibus promiſſis Sueci, ad Imperii tranquillitatem diſturbandam; Poloni, quâ largitionibus, quâ vi tantùm non adacti, ad ſucceſſorem Regi adhuc ſuperſtiti, contra avitas Regni leges, eligendum, manifeſta argumenta, etiam homini in politicis minùs perſpicaci è quibus colligat, formidabilem iſtum Belli apparatum, tot confœderationes partim initas, partim propoſitas, ad majus aliquid dirigi, quam Provinciæ unius, alteriuſve occupationem, quas noſtra credulitas in prædam expoſuit, latiuſque hiare Galliæ cupiditatem, quàm ut expleri poſſit, licet Urbes aliquot, à Belgio Catholico, vel pactione, vel Armis avulſerit, tam grandes ubi montes parturiunt, exiguos mures non ſolent edere, ſed Veſuvii cujuſdam inſtar flammas evomere, viciniam omnem depopulaturas.

Qui primus Christianissimo Regi attributus fuit adolescentiæ moderator, tum illi suum Henricum IV. cognomento magnum proposuit, quem intueretur assiduè, cujus axiomata à teneris imbiberet, vestigia quàm proximè consectaretur, prout in eo libro videre est quem Regius ille præceptor in publicum emisit, perplacuere juveni Principi ea documenta, utpotè quæ istud illi aperirent iter, ad quod ut naturæ trahebat genius, & armorum prospero successu adblandiens fortuna invitabat. Ut ergo magni illius Avi mores ac gesta Nepos non degener exprimeret, quæ de vita rebusque gestis, scripta est Historia assiduè evolvit, ex lectione quantum profecerit facta loquuntur, nam insistens exemplo ad accumulandas primùm opes omne studium convertit, tum prorsus ut ille, variis actibus externorum ambivit amicitias, denique validissimum exercitum contraxit; concludere itaque oportet eamdem præfixam planè illi ideam, eaque omnia quæ modo videmus, nil aliud esse, quam antiquas Henrici IV. designationes, effectusque illorum axiomatum, quæ & hausit cum lacte, & longâ meditatione altius animo impressit. Quid inde ominari licet, is agnoscet, qui Henrici IV. & Præsidis Janninii commentarios & Episcopi Ruthenensis perlegerit, nam ex his indubiè inferet, quidquid magnus ille Rex vastis animi ad Monarchiam aspirantis designationibus conceperat, id omne propositum huic Armis perficere. Cùm autem gloriæ cupiditas, limitibus nullis se arctari patiatur, & florens ætas longius quam Henrico Magno, curriculum absolvendis tantis ausibus spondeat, jure timeri potest ne sistendis illius progressibus latus satis rapidusque Rhenus non sit. Adlaborarunt scriptores Galli hæc ut Regis sui cogitata alerent, confirmarentque, cum enim adulatorium istud hominum genus, quo aulæ semper abundant, observare istud soleant curiosissimè in quam partem Principum propensiones inclinent, ut isthac assentationes suas faciliùs instillent, devoverunt certatim venales calamos, titillando accendendoque huic gloriæ desiderio, quod illi à naturâ inditum adverterunt: placuisse conatus

natus Regi, indicio sunt ampla munera quæ scriptores illi laboris sui præmium accepere, approbatio autem illa in Principe Juvene, qui quidquid libuerit credit posse exequi, quique eo principio imbutus est, ut Armis aliena occupet, sufficere titulum coloratæ æquitatis, præjudicium est sanè periculosum, timendumque iis omnibus, in quos aliquid Juris competere sibi ille existimarit. Dictorum veritas ut pateat suspiciendi dumtaxat libri recens impressi illique dedicati, præcipuè unus Gallico editus idiomate, cui titulus *de Justis prætentionibus Regis in Imperium:* hujus Author ubi Principio tamquam structuræ totius basim, hoc statuit: *supremorum Principum ditiones seu proprias seu acquisitas, eo jure semper spectasse ad statum sive regnum, quod nec alienari, nec præscribi potuerit*, sequentes binos Articulos subjungit.

Primus, maxima Germaniæ pars vetus est Patrimonium & hæreditas Principum Gallorum.

Secundus, Carolus Magnus eo jure quo erat Rex Franciæ, non quo Imperator Germaniam possedit.

Permitto iis qui Tractatum lecturi sunt, ut quid ex his præmissis consentaneum sit ipsi colligant.

Si ex præteritis, futurorum aliqua conjectatio fieri potest, erit sanè cur omnes Europæ Principes sibi, rebusque suis prospiciant, quando attentiùs considerarint agendi rationem quam Galli à sancita ad Pyreneos Pace, in præsentem diem tenuerunt: vix videramus Tractatus illos religiosè juratos, firmatosque iis pactionibus, quas humana prudentia potuerat excogitare, cùm repentè Gallia ob levem inter Legatos de priore loco exortam contentionem quæ à multis sæculis agitata, in nupero fœdere indecisa manserat, ita excanduit, ut absuerit parum quin ad Arma prosiliret: cùm eodem tempore tacita sorberet indignissimas injurias, quibus in Aula Ottomannica à magno (ut vocant) Vizirio Majestas Regia in Legato suo contumeliosè conculcabatur, & alibi Suecicos Legatos cum suis de dignitate certare, citra offensam pateretur, quod eo magis notandum, quod

in congressu Pyrenæo, ita omnia transacta sint, neutrum ut Regnum alterum præcessisse honore videatur, & in altero mutuo conventionis instrumento Hispania, in altero Gallia primas tenuit. Quorsum Galli cum hac dignitatis exæquatione jungebant dexteras, si constitutum jam tunc habebant has divellere, nisi Hispania, Galliæ de loco concederet, enimverò vel hinc constat apertissimè ab ipso conclusæ Pacis die, de hac violanda illos cogitasse, & ansam quamvis studiosè quæsivisse, scilicet non publici, sed privati commodi amore posuerunt Arma, ut dum respirant aliquantisper, & exhaustum ærarium novis tributis supplerent, subjectosque quos premere cœperant, penitùs opprimerent. Fumabant adhuc festivi ignes ad publicam Pacis gratulationem in urbibus exstructi, cum ab illis infracta est suppetiis in Lusitaniam, primum dissimulanter & sub nomine Vice-Comitis Turrenii, paulo post apertè, & sine involucro à Gallia submissis, tumultus Romæ dolente & improbante Pontifice coortus, inter milites injuriarum impatientes, quæ ab insolescente licentiâ Domesticorum Legati Gallici plurimas acceperant, funestissimi belli faces tota Italia sparsisset, nisi nascens incendium, in fomite lachrymis suis Sanctissimus Dominus extraxisset, familiam suam communi bono immolans, & pyramidem erigens, indignum trophæum quo ovans Gallia insultaret Ecclesiæ, summo Pontificis in Terris Vicario, communique omnium Parenti, cujus tamen primogenitos Filios ubique sese jactitant.

Neque ista diu evenerant, cum Carolus Lotharingiæ Dux cogitur à Gallis Ducatum suum pretio vendere, legitimi Successoris perpetuo damno, ubi apparuit vendi rem nequivisse, armorum vi, quem solum obtinebat in ditione sua locum, coactus est in Gallorum potestatem tradere, undè contigit & pretio Ducem carere, & ditionem amittere.

Monasteriensis Episcopus Rhenanâ confœderatione comprehensus, in ipso Imperio ab Hollandiæ Statibus lacessitus Gallorum auxilia incassum flagitaverat, fidens confœdera-

tionis Articulis. Verum cum ultionem ſtatuiſſet, ſtatim Gallicis Armis impetitur, & niſi plus fuiſſet lenitatis in hoſtibus, quam in confœderato ſibi Gallo, ditio ipſius, Patrimonium Eccleſiæ adhuc lugeret ſepulta cineribus.

Bellum quod inter Britannos, & Batavos, Gallicis artibus ſuſcitatum, ſolertiâ alitum parti quæ magis videbatur tum imbecilla vires addendo, ſatis ſuperque orbi univerſo patefacit, ludum hunc eſſe Gallorum, eoſque operam dare, ut iis à quibus ſuarum Machinationum curſus ſufflaminari, vel intercipi poſſet, ita debilitarentur exhauſtis viribus, ut vel nihil, vel admodum nocere ſibi non poſſent.

Verùm ne ab eo quòd mihi propoſui Argumento ſcribendi, longiùs abeam, duo indicia proferam, quibus ni fallor manifeſtè conſtabit eam Gallorum mentem eſſe, ut eòuſque Dominationem ſuam proferant, quo ſinet Belli à ſe cœpti fortuna, nec iſtas de pace ineunda ſimulationes aliò ſpectare, quam ut animos pauliſper ſuſtineant, Principum vicinorum, ſubditorum autem ſuorum oculos hoc faſcino obnubant. Habent videlicet ſibi perſuaſum illos quidem ad Arma non eſſe venturos impediendorum ſuorum progreſſuum causâ, quamdiu ratio ineundæ Pacis inveſtigatur, hi verò (ſubditi nimirùm) ſecuturæ mox concordiæ opinione deterriti, continebunt ſeſe, neque audebunt tam dubiæ moxque præterlapſuræ occaſioni fortunas ſuas vitaſque objicere.

Primum indicium eſt, quod eo ipſo quo deſiderium Pacis jactitant eidem, inſuperabilia ultrò objiciunt obſtacula fœdere cum Luſitanis ad decennium ſancito, quo ita obligantur, ut niſi Luſitanus obtinebit, quidquid ſibi viſum fuerit poſtulare, coaleſcere Pax cum Gallo non poſſit, at verò minimè fugit Gallos, quam dura ſint Luſitanorum prætenſa, Hiſpaniam tangi in pupilla oculi, quâ tenerius nihil; non latet Gallum eumdem per hoc obicem obvolvi Paci, qui eam ad Pyrenæos vix non intervertit. Iſta Gallorum cum Luſitano conjuratio, hoc affert (ut quidem Ulyſſipone perſcribitur) ut ii portus omnes, quos

con-

contigerit Hiſpano ab Luſitano tolli, ad unum vel alterum Mare, in poteſtate Galli ſint: quod quidem prorſus conſentaneum eſt ei cupiditati, quam cœpit ab annis aliquot deſignare Gallia, omne commercium, quod Mari agitatur ad ſe trahendi: nihil prorſus hæc omnia pertinent ad id jus quod Gallia ſibi in Brabantiam, aliaſque nonnullas Belgii Provincias competere præſumit, nulla prorſus illarum machinationum cum hac ſua poſtulatione conjunctio, ſi nihil aliud intenderet, quam innoxiam abſque hoſtilitate prætenſæ hæreditatis poſſeſsionem, non certè Maritimos Portus, ad quos vel ipsâmet fatente, nullo Jure nititur, tantâ contentione affectaret.

Indicium alterum eſt, quod eo ipſo tempore quo fingit Gallus, nolle ſe pacem infringi, id ipſum quo Pax nititur, evertit, & omnem præcludit reconciliationis viam, ſuccisâ renunciatione, cui Pax ita inhærebat, ut hoc everſo fundamento, neceſſe ſit id corruat, quod ſuperſtructum eſt: iſta renunciatio ſi nequit conſiſtere, nulla ſpes inſtaurandæ amicitiæ, nullum ſtabiliendæ ſecuritatis medium ſupererit. Pax nihil aliud erit quam novi Belli ſemen, nunquam diſcordiæ ſtipites radicitùs evellentur, nullaque ſecuris nodum hunc Gordium præſcindere valebit, hic arbitri quiqui fuerint, intricabuntur videlicet, ſi enormem hanc prætentionem Gallo totam attribuant, non ſolùm deglutiet avido ore Belgium univerſum, eodemque titulo non ſolùm Brabantiæ partem Provinciis Unitis competentem, ſed cæteras etiam quæ ipſis obtigerunt Provincias devovebit, prout infrà Articulo 5. demonſtrabitur, ſi ipſarum arbitrio aliquid de Belgio Catholico Gallis decernatur, ſtatuent præjudicium in ſe ipſas, propriaque ſententia damnabuntur. Sin autem parte Brabantiæ obtentâ acquieſcit Gallia, ab Armis diſcedit, reſtituit cætera, nova Reginæ renunciatione opus erit, qua ſe exuat cæteris, ad quæ jus ſibi Gallia natum eſſe præſumit, verum & hæc quidem renunciatio nulla cenſebitur, quando ex pronunciatis Gallorum nequeunt ſupremi Principes ſuo unquam Jure concedere. Quis verò Juriſconſultus tam ſolers,

qui vel clauſulis, (ut aiunt) cavere, vel novis juris jurandi formulis declinare nullitatis calumniam magis poſſit, quàm in hoc Pacis Tractatu, vel cautum, vel declinatum eſt omne, quod excogitari poſſet revocabilitatis vel genus vel modus. Poſtremò fac omnia quæ nunc Galli flagitant, ultrò contribui, an aliquid, per Deum, firmi ſolidique confectum eſſe cenſebitur: quaſi verò renunciatione ſublatâ non aperitur janua ad id omne quod Hiſpani ubivis terrarum poſſident, eodem Jure poſcendum, non erit ſcilicet iſta Pax firmior quam pueri vita, periculis ſexcentis, pro iſtius ætatulæ conditione obnoxia, itaque non priùs immenſus iſte hiatus poteſt obſtrui, quam qui nunc eſt imbecillâ ætate, vir factus, auguſti ſtipitis propagatione, vaſtas deſignationes coarctare poſſit eorum, qui in ejus interitu latè dominandi fiduciam collocant. Sed quorſum ſectamur indicia, res ipſa vocem quodammodo edit, omni humanâ voce clariorem, Chriſtianiſſimus Rex pro ſuâ clementiâ, indignè ferens credulitatem noſtram, ſpe Pacis inani diutiùs circumduci, revocari nos ab errore voluit, datis ipſo jubente ad Marchionem de la Fuente litteris, ad eas quibus Belgii Gubernator illum decentiſſimis verbis ad Pacem, vicinorum Principum arbitrio, conciliandam hortabatur, quo reſponſo non ſolùm omnem Pacis ſpem præſcindit, & vel ſolam de ea propoſitionem injuriæ loco ducit, ſed ultrò Sereniſſimæ Reginæ noſtræ declarationem, ad ea quæ familiaris tantum colloquii gratiâ, Regina Galliarum mater, Marchioni de la Fuente inſinuaverat, velut inſuperabile Paci obſtaculum nobis objicit, & hâc tam infirmâ baſi, Belli Juſtitiam ſimul & Pacis obicem, niti poſſe prætendit.

Ex tot perſpectæ veritatis irrefragabilibus Argumentis, quivis prudens facile aſſequetur, quod cùm Gallia omnem induſtriæ vim exerat ut Pacis Tractatus, vel impoſſibiles reddat, vel intutos, eam oppidò, non aliò collimare, quàm ad integram Monarchiæ, quæ cæterarum antemurale ſemper extitit ſubverſionem, ut diruto Europæ propugnaculo, paten-

tiorem ſibi viam ſternat ad ejus expugnationem.

Politicorum negotium eſt ad eas machinationes animum advertere, tanti ponderis res, ſeriâ meditatione non videtur indigna.

ARTICULUS II.

Galliæ Regis in Belgium ingreſſum veram Pacis infractionem eſſe.

VErnaculum Sermonem perpolire mirè adlaboravit Academia Gallica, ſibique complurium vocum abolendarum, nonnullarum etiam in lucem, uſumque inducendarum licentiam arrogavit, ac pulchris locutionum formulis & phraſibus Idioma patrium locupletandi, verùm Pacis nomen ad Bellum ſignificandum unquam ab ipſa eſſe uſurpatum, haud equidem hactenus comperi: fortè Latinos qui ironicè Belli vocabulum, ad rem adeò difformem exprimendam tranſtulere, imitatus hic ingenioſus ſcriptor, hoſtiles inimicitias facetiarum nomine, ingentis exercitus apparatum ludicri certaminis vocabulo venire voluit.

Conjugium vocat hoc, prætexit nomine culpam.

Optem ſanè nobis ut explicet, rupturæ nomine quid ſignificatum velit, ac quomodo invaſionem militum, tormentorumque vi copioſâ exercitam, eo cum Tractatu conciliare queat, qui primâ ipsâ fronte omnem omninò aggreſſionem armatâ manu fieri vetat, finemque alium omninò nullum ſpectat, quàm ut ejuſmodi incurſiones violentæ arceantur, noſſe velim, qui ex ejus mente cum funeſtiſſimis quibuſque Belli effectis Pacis jura integra, inviolataque conſiſtant, aut quomodo ſi à ſolemnitatibus præviis unus Fecialis Bellum enuncians abfuerit, continuò omnis quoque à Bello amarulentia ac injuſtitia abeſſe cenſenda ſint. Ego quidem craſſiore ſub aëre natus, omne illud

lud rupturam habendum ſemper cenſui, quod naturæ Pacis adverſaretur, quod ejus fundamenta everteret, ac concordiam interturbaret. Sunt machinationes nonnullæ, quæ Pacis jura accidunt, non ſubvertunt, contraventiones dicendæ potiùs quam infractiones, quæque læſis partibus jus vindictæ Armis exigendæ non tribuunt, at mitiore ſolummodo, viâque leniore reparari damnum, aut pro injuria ſatisfieri expoſcunt: Turcæ ſuorum vagas huc & illuc excurſiones, Pacis reſciſſionem haud interpretantur, dummodo pedeſtres copiæ, & tormenta majora non intervenerint, ſed quoties apertâ vi, æquis aciebus ad majora quæque inſtructis, res peragitur, cùm ſubditi in Principes ſolicitantur ad defectionem, & citra omnem æqui formam mulctâ bonorum fiſco addicendorum propoſitâ ad perfidum Sacramentum dicendum adiguntur, profectò quid Pax, quid Bellum, quid Tractatus, quid infractio ſit, ignorare me ingenuè profiteor, ſi ea omnia adeò ſibi inimica cohærere invicem poſſint, ac ſociabili fœdere componi: hoc inauditum prorsùs eſt novæ Juriſprudentiæ commentum, priſcis incompertum, qui dogma huic è diametro adverſum nobis reliquere, *Hoſtes non ſolum exiſtimantur, qui jam navali aut terreſtri prælio certant, ſed pro talibus habendi, & qui machinas admovent portubus aut mœnibus, etiamſi nondum pugnam incipiunt*, Philo de Legibus. At ea de re rectiùs ut judicium concipiamus, inſpiciendi termini ipſi Tractatûs Pacis, expendenda altiùs eorum natura, effecta, finis, quo tandem concludere liceat, ſi ea omnia præſenti invaſione ſublata corruerint, non aliud aptiuſve huic nomen, quàm manifeſtæ rupturæ eſſe affingendum.

Cauſa ad Pacem impellens, extitit deſiderium boni, quietis, ac commodi optimorum ſubditorum, ſcopus, ut tot tantiſque malis finis imponeretur, effectus verò ut altâ oblivione, cùm cauſæ tùm motiva dicti Belli omnia ſepelirentur, ac ſincera, perfecta, & perennis concordia inter ſeſe, & Coronarum ſuarum ſubſecuturos hæredes ſtabiliretur: hæc omnia hoſtilis machinatio modò ſubvertit, quæ commoda, quietemque populorum

interturbat, damna publica renovat, ac velut ſcintilla in apertum erumpens incendium, cauſas & fomitem priorum Bellorum reſuſcitat, excitatque novorum: neque video quo pacto concipi à ſanæ mentis homine queat fieri poſſe, ut Paci minimè inimica accidat hujuſmodi invaſio, quæ illam in cauſa ſua, ſuiſque effectis evertit.

Adde quod ſi Regis Chriſtianiſſimi haſce in Provincias ingreſſus non ſit niſi aditus merus ad poſſeſſionem, omninò ſit illegitimus, adverſus Juri gentium, conſuetudinibus, ac praxi legum omnium tum civilium, tum municipalium, quemadmodum Articulo ſequenti exhibebo, & ut prætexto quocumque colore pallietur, reipſa tamen nihil aliud cenſeri poteſt, quàm via facti, nullâ unquam ratione cohoneſtanda, niſi juſti Belli titulus accedat, adeò ut eo ipſo quo huic invaſioni, nomen Belli detrahere nituntur, unicam quâ tegi poſſet larvam, (Juris ſcilicet Armorum) ſibi ipſis præripiunt, conficiuntque manifeſtè, ſi ruptura non fuerit, certè intruſionem eſſe violentam: ſi Belli nomen non obtinuerit, prædatoriæ aut piraticæ incurſionis promereri: ſi Pacis infractio non audierit, iniquam ut minimùm machinationem, quæ omnibus Juris atque honeſti formis adverſetur eſſe reputandam. Ita in ſuos ipſi ſeſe laqueos induunt, & dum cauſam ſuam inani & ſuaptè evaniturâ ſubtilitate, plauſibiliorem aut minùs odioſam reddere ſatagunt, præcipuum ejuſdem ſubruunt fundamentum, & cùm rejecto Belli nomine, vim inferunt, omnem ſibi præcludunt aditum, quo ſpolia quæ de nobis referre ſperant, apparenti ſaltem Belli Jure tantiſper valeant condecorare.

Hoſtes ſunt qui nobis aut quibus nos publicè bellum decernimus, cæteri latrones aut prædones ſunt l. Hoſtes de verb. ſignif.

Diſtinguunt vulgò contraventionem inter, infractionem, ac rupturam, prima non niſi error eſt in uſu aut omiſſione admiſſus, illæsâ Pacis ſubſtantiâ, ex quo ſolum læſis partibus Jus acquiritur, damni illati reparationem poſtulandi: ſecunda in ipſam Pacis ſubſtantiam rectâ impingit, ejus fundamenta evertit, cauſam-

ſamque æquam ſubminiſtrat Jus Armis proſequendi, ſi aliâ ope ei ſatisfieri nequierit: tertia merè in hoſtilis inimicitiæ actibus ſita eſt, qui numquam cum Pace conſiſtunt, fitque, ut verbo eam complectar, *cùm Jus vi vindicatum* atque Bellum Juriſconſultis non eſt, niſi *contentio manu forti armorumque violentiâ exercita.*

Sunt qui rupturæ nomen latiùs paulò accipiant, atque ad caſus tres extendant, primum quidem, ubi actus quiſpiam, naturæ ac fini Pacis contrarius obtigerit; ſecundum verò, cùm committendo, aut omittendo peccatum quid fuerit adverſus ea, quæ expreſsè Tractatu ſunt contenta; tertium autem, quoties machinatio aliqua hoſtilis intercurrerit, quæ conſequentias trahat minimè conciliandas cum eo omni, quod Pacis nomine poſſit intelligi, *Grotius lib. 3. cap.* 20. Tres iſtæ conditiones manifeſtè hic ſeſe offerunt, vim habemus apertam, habemus expreſſas contraventiones Articulis vel maximè eſſentialibus, habemus denique ea conſequentia quæ damnum ſecum trahant irreparabile.

Quod Gallia ex parte ſua Tractatibus contravenerit, manifeſtò comprobari poteſt, ex infinitis propemodum actibus, ſinceræ amicitiæ, quam ambo ſibi Reges, ceu præcipuum hujuſce Pacis finem ac fructum addixerant, planè refragantibus, nec non leges ultrò citròque præſcriptas & ſubſcriptas peſſundantibus; arcanæ machinationes,cùm intra, tùm extra Regni limites, haud unquam ab inita Pace vacarunt, quo Monarchia eo ſemper pacto laboraret, atque in illam adverſarii æmulique omni ex parte ſuſcitarentur. Luſitani exindè propè non alio, quàm Gallia tranſmiſiſſet frumento victitarunt, & quoties circa Pacis executionem, aut Dunkerkæ emptionem, nobis aliquid cum ipſis diſceptationis interceſſit,ſemper nobis pro ratione voluntatem obtruſere, præſcribere nobis legem, vel intra Domeſticos parietes, atque interdicere ipſa Canalium noſtrorum reſtauratione non erubuerunt, & in quacumque levioris momenti controverſiâ, ubi non præcluſâ omni exceptione cederemus, illicò

nobis evaginatum enſem oſtentarunt. Si propoſita nobis aliquando Liga ad noſtri ſolorum defenſionem ineunda, ecce continuò fulminatrices belli minas, adeò crebrò uſurpabatur id verborum genus ore Archiëpiſcopi Ebrodunenſis, ut è nullius ponderis negotiis, ac ad ſpecialem quemque caſum occurrentibus cauſam extemplo publicam concinnaret: demùm tanto cum exceſſu abuſi ſunt vehementi quam in nobis advertebant ad Pacem propenſione, ut vel minimis de cauſis ſibi belli terriculamento utendum exiſtimarint, quo à nobis nullo negotio omnia pro libitu extorquerent. Quamquam miſerrima noſtra foret conditio, ut qui ſpem inter metumq́ue vitam trahentes, gladium ſemper cervicibus noſtris incumbentem videremus, quietemq́ue noſtram filo tam tenui pendentem, priorum tamen calamitatum memoria, timorq́ue impendentium ſuadebant, ut incertam etiam, inſtabilemq́ue quietem, confuſioni ac turbis ex belli redintegratione ſecuturis præferremus, & expectaremus dum aut moderatio noſtra eorum animos inflecteret, aut ſecuritati noſtræ aliâ ope, Divina Providentia conſuleret: ſed tolerantia noſtra inſtar graduum fuit quibus ad apertas infractiones proſilirent, quarum fœditatem nulla Gallicorum rabularum ſubtilitas aut cavillatio, vel apparenti ſaltem Juris ſpecie poterit unquam palliare.

Atq́ue hic Lectorem oratum velim, ut gratiæ nihil tribuendum putet, omnem etiam, quâ in nos ferri poſſet, benevolentiam exuat, induat omnem, quam poteſt, in hoſtes, atq́ue cauſam noſtram ad extremi rigoris jura decidat.

Deſciſcere à partibus Luſitaniæ, unum è ſubſtantialibus erat Pacis Articulis fundamentum, quo niſi illa innixa ac ſuffulta fuiſſet, nec tractari poterat nec concludi: exprimit id directè ipſa Gallia hiſce Articuli LX. ejuſdem Tractatûs verbis: *Eo quod proſpexerit atque perpenderit fore ut ſi tuendis Luſitanæ Coronæ partibus adhæreret, hinc obex inſuperabilis, Paci concludendæ objiceretur, atque adeò Reges ambo ad quoddam belli protrahendi fatum neceſſitatemque adigerentur.*

Ac

Ac pauló infra eodem in Articulo proſequitur in hunc modum; *Denique intuitu Pacis attentâque inevitabili neceſſitate in quam Majeſtas ſua Chriſtianiſſima compulſam ſeſe deprehendit, belli diutiùs proferendi præſentis Tractatûs diſſolutione, quam nullo pacto vitandum ſibi intellexit, ſi obfirmatè inſtitiſſet obtinendis aliis in hoc negotio à Majeſtate ſuâ Catholicâ conditionibus, quàm quos illa ſibi obtuliſſet.*

Liquet eodem ex Articulo, quod ad hoc, ut Luſitaniæ partes, Gallia deſtituere teneretur, Majeſtas ſua Regi Chriſtianiſſimo reſtitutionem locorum omnium, Dominiorumque, quæ Gallicis armis ſuperioris Belli tempore forent intercepta, remiſerit. Perſpicui ſunt termini dicto Articulo contenti: *Offerens præter loca, quæ præſenti Tractatu Majeſtati ſuæ reſtituit, aliorum inſuper omnium deditionem quæ pendente hoc Bello armis ſuis occupavit, ac Sereniſſimi Principis Condæi in integrum reſtitutionem, eâ lege ut regni Luſitani negotia ei ſtatui, quem in præſentia obtinebat, relinquantur.*

Extra controverſiam quoque poſitum eſt, quod ei Luſitanarum Partium derelictioni adſtipulata fuerit Gallia, eamque adeò authenticè, adeò perſpicuis ſpecialibuſque terminis addixerit, ut neque in dubium revocari poſſit, neque obnoxia reddi, ulli prorsùs interpretationi, quæ vel genuino ſenſui, vel partium intentioni poſſit adverſari: ecce ipſiſſimos terminos, *Dicta ſua Majeſtas nunquam ampliùs in dictum ſeſe negotium ingeret, ſpondetque, ac interpoſitâ etiam ſuâ dignitate, fide, verboque Regio, in ſe ſuoſque Succeſſores recipit fore ut nullam penitùs opem, dicto Luſitaniæ Regno, vel in communi, vel in particulari, privatæ ulli ejus perſonæ aut perſonis, cujuſvis dignitatis, ſtatûs aut conditionis extiterint, præſenti tempore aut futuro, Galliæ unquam præſtet, neque ſubſidio illis veniat publico aut arcano, directè aut indirectè, militum, armorum, propugnaculorum, commeatuum, navium, pecuniæ, quacumque prætentâ causâ, neque aliud demùm terrâ marive, aut alio pacto ſubminiſtret, ſpondet etiam futurum, ut non patiatur in ullo Regnorum, Ditionumve ſuarum tractu, militares*

copias

copias conſcribi, aut ex alienâ ditione in dicti Luſitaniæ Regni ſubſidium advenientibus tranſitum ſua per Regna patere. Pari evidentiâ liquet ſingulis illos punctis, ſingulisque juratæ hujus fidei circumſtantiis defuiſſe, pace vix dum ſtabilitâ, auxiliarem militem, variis turmis in Luſitaniam arcanò immiſiſſe, ac ſub idem ipſum tempus, quo ad juſtiſſimas D. Marchionis de la Fuente expoſtulationes, publica decreta ad quorumque portuum Gubernatores expediebantur, ne militum conſcenſio in Portugalliam permitteretur, non deſtitiſſe intereà quaſi conniventes, clam plurimos eò deſtinare, manifeſtius etiam eſt, quam ut negari poſſit, paulò poſt à Domino Mareſchallo Turennio in Luſitaniæ ſubſidium coactos fuiſſe, conſcriptoſque milites, ac cùm idem Marchio de la Fuente demonſtraſſet id directè Tractatibus adverſari, frigidum illud negligenſque reſponſum retuliſſe, id factum privatum eſſe Mareſchalli Turennii, in cujus partem Aula non veniret: Denique nimiùm quam longo uſu compertum eſt, haud deſtitiſſe unquam Luſitaniæ de re frumentaria omnique Bellico apparatu proſpicere: & hæc quidem omnia dum prætentæ Devolutionis effectus adhuc foret incertus, nihilque vel inter privatos efficere valuiſſet, niſi caſu quo filia patri ſuperviveret, atque etiam antequam diſceptatio ulla proceſſiſſet aut aditus ad ejuſmodi prætentum jus eſſet patefactus. Ad manus nobis ſunt litteræ interceptæ, quibus clarè evincitur Luſitanorum pervicaciam ab initâ pace Gallicis artibus indeſinenter accenſam fuiſſe, additoſque ſtimulos, ut commodas ſibi leges oblatas reſpuerent, animoſque inſuper ſpe validi ſubſidii ſuffectos, non ad ipſos modo propugnandos, verùm etiam ad Hiſpanos intra Regni viſcera offenſivo Bello impetendos. Habemus non unas litteras Dominorum de Lionne ac Archiepiſcopi Ebrodunenſis ad Dominum de Schomberg, indices, teſteſque omni exceptione majores, continui quod inter ipſos extitit, ad dirigendas hujus Belli operationes commercii. Ecquis eſt amabo, qui neſciat, à Domino Duce Beaufortio lectas totâ ſuâ cum claſſe anno ſuperiore Luſitaniæ oras, atque exactam

exactam istic ab illo magnam æstatis partem, non levi confœderatorum præjudicio, ut salvos eò conduceret commeatus, aliaque ad bellicum usum necessaria, quorum extremâ laborabant penuriâ, & hæc illo ipso tempore, quo sese patronos offerebant componendis iis, quæ nos inter ac Portugallos intercedebant controversiis. Orbi toti conspicua sunt crebra Colberti in Lusitaniam itinera, animorum ipsis addendorum gratiâ, novoque fœdere Galliæ adstringendorum, ac parvo temporis intervallo à Tractatu Pyrenæo exacto, Dominum Courtin missum in Angliam, exstimulaturum magnæ Britanniæ Regem, ne Lusitaniæ causam destitutam vellet: intercepimus Gallica in navi, quæ è Lusitaniâ solverat, initam impensarum, auxiliorumque rationem, quæ à conclusâ Pace huic regno Gallia suppeditasset, quibus constat inter cætera, propriis semper sumptibus copias ab ipsa sustentatas, quo hujus Belli molem sustentaret, & ad harum omnium machinationum cumulum, ne ipsa quidem ire inficias Gallia potest, nuperrimè ictum à se esse eo cum Regno fœdus offensivum, adversùs omnes illius hostes, principes dicti fœderis leges sunt „ Fore ut amici communes sint „ amicis, hostes hostibus, demptâ Angliâ, Gallia tot copias illis „ suppeditet, quot necessariæ fuerint, ut Bellum offensivum intra „ Hispaniam, terrâ marique importent, ac viâ crediti mediam „ stipendii solutionem alendis auxiliaribus copiis repræsentet, in „ singulos insuper annos, eodem crediti titulo trecenta aureorum „ millia ipsis numeret, portus omnes quos in utroque mari ab „ Hispanâ potestate ad suam redegerint, Gallicæ ditioni subjician„ tur, absque communi partis utriusque consensu, neque de „ Pace, neque de induciis agere liceat, id fœderis ad decennium „ protrahatur.

Ex clausulis Tractatûs ad montes Pyrenæos initi supra recensitis, facile cuique intelligere erit, punctum Pacis essentiale ac fundamentale partium Lusitanicarum destitutionem extitisse, Serenissimum Regem nostrum hanc conditionem anteposuisse Provinciis omnibus, Statibus, Dominiis, munitissimisque lo-

cis, quibus Galliæ cessit, quæque si in causa Lusitanicæ Coronæ cedere voluisset, recuperare omnia potuisset, atque adeò Galliam nonnisi tantùm Juris ad possidenda loca, quæ ipsi concessa sunt obtinere, quantùm ipsa legi satisfecerit, vi cujus eadem ipsi condonabantur, & demptâ quâ omnia nobis erant redonanda.

Ex quo clarissimè comprobantur auxilia omnia cùm publica tùm arcana, quibus hoc Regnum à Galliâ auctum est, & nominatim fœdus offensivum, quod cum illo inivit, non simplicis dumtaxat contraventionis aut infractionis loco habenda, sed rupturæ Pacis manifestæ, quæ Majestatem suam æquissimo Juri restituit omnium quæ ejusdem Tractatûs virtute Gallia sibi vendicat repetendorum, nec non impensarum ac damnorum, quæ ejus belli protractio, & injecta compositioni Impedimenta, Coronæ Hispanæ procrearunt: hæc conclusio triplici ratione irrefragabili fundatur.

Prima ex Articulo III. Instrumenti Pacis ducta est, quo convenit, ut *vitandarum controversiarum gratiâ, quæ inter Principes ullos aut Magnates, dictis Dominis Regibus fœdere sociatos imposterùm nasci possent, si interpositâ suâ authoritate, Pacem inter eos conciliare nequiverint, ac Fœderati abjecto Pacis consilio ad Arma venerint, dictorum Dominorum Regum, cuique viribus suis in opem venire fœdere sibi sociatis licebit, ita ut eam ob causam nulla suas inter Majestates ruptura consequatur.*

Porrò sub ejusdem Articuli finem, Lusitanus nominatim excipitur, undè evidens ea ducitur consequentia, quod si ambobus Regibus concessum sit, fœdere sibi sociatis citra rupturæ periculum subvenire, exceptâ Lusitaniâ, sequitur Galliam sine rupturæ nota, haud quaquam Lusitaniæ potuisse opitulari, quandoquidem id Regum restrictivâ dispositionis generalis, quæ ad alios fœderatos omnes extenditur, clausulâ unicè fuerit reservatum.

Et in ejusdem Articuli III. fine, terminis generalibus vetitum est, omne ferendi auxilii genus *subditis, qui deindè in dictos Dominos*

minos Reges rebelliæ possent Arma circumferre, ut hoc pacto facultatem dicto Articulo, ferendi fœderatis auxilii generaliter concessam, ad solos Principes Magnatesque legitimos restringerent, & ab eâ rebelles omnes excluderent.

Secunda est, quod Tractatus reverà resciſſus sit, cùm per iniquam alterius è partibus machinationem eò loci redactus est, quo neque concludendus erat, neque ineundus. *Lege quod ab initio ff. de Reg. Jur.* Constat ex Articulo LX. Supra relato & ipsius Galliæ declaratione„ quod Galliæ cum Lusitanis vinculum „Paci concludendę obicem opponeret ope nullâ submovendum. Luce igitur meridianâ clariùs est Pacem, quæ sine prævio à Lusitanis partibus discessu stabiliri nequivisset, neque cum subsidio iis præstito, neque cum fœdere novissimè inito posse permanere.

Tertia est quod fœdere offensivo cum Lusitanis contracto sese hostes hostium, alter alteriùs declarent, unâ Angliâ exemptâ, liquidò ergo consequitur, Regno Hispaniæ non excepto, imò hoc fœdere in ipsam unicè instituto, Majestatem suam Christianissimam illo dictâ lege ineundo, apertas adversùs Hispaniam inimicitias & suscepisse & declarasse.

Addamus ad hæc Coronidis loco, actus jam nunc hostiliter exerceri cœptos in Armenterienses, iniquam Gubernatoris oppido præfecti detentionem, militum præsidiariorum cædem, conspirationem in Luxemburgum inauspicatam, collationes pecuniarum exactas ab iis ipsis Provinciis, ad quas prætentum illud Jus minimè se extendit, ut ab incendio & expilatione immunes remanerent, Invasionem Carolo-Regii, & instauratas illis munitiones, direptionem atque deflagrationem cumplurium pagorum injustissimam, vel in patriâ Leodiensi, templorum locorumque divino cultui consecratorum profanationem, Bergarum S. Winoci interceptionem. Quod si hisce omnibus nomen Belli, rupturæ, infractionis Tractatuum Pacis attribuere non licuerit, nullus video ecquod deinceps rebus nomen imponere liceat, quo ipsarum naturam aptè exprimamus.

Post hæc omnia, Latinus Libelli traductor, ingeniosè magnificis hisce atque ementientibus verborum exsuperantiis exultat: *Rex Invictissimus Galliarum, non proferendi Imperii cupiditate, aut gloriâ bellicæ laudis, sed communi utilitate & officii religione compulsus, &c.* Et congruenter *neque enim is est, qui de inferenda finitimis cogitet injuriâ, aut in rem suam aliena convertere, aut aliorum demùm invadere velit Imperia, unam præter cæteras virtutes colit Justitiam, huic Coronam Sceptrumque submittit*, &c.

Sufficere videlicet sibi credit, ea omnia speciosè asserere, ut persuadeat nudas verborum voces rebus quas quę sentimus, & experimur præponderaturas, orbemque Christianum plus fidei auribus, quam oculis suis, proprioque usui habiturum.

ARTICULUS III.

Hanc rupturam, etiamsi concederemus legitimè fundata jura Christianissimi Regis, injustam esse.

INjustitia rupturæ & Pacis per Gallum violatæ, missis in Lusitaniam subsidiis, & recenter initâ cum eadem confœderatione, usque adeò per se patet, & tam evidenter comprobata est, ut videretur de Lectorum sufficientiâ & judicio minùs rectè sentire, si quis olium & operam huic veritati magis elucidandæ vellet impendere. Verùm, ut patentiorem campum demus inimicis, eosque minore nostro commodo aggrediamur, lubet tantisper mihi ipsi manus constringerę, & oculos Juri nostro inspiciendo claudere, ipsisque liberaliter ex falsâ hypothesi (quam sequentibus Articulis impugnandam reservo) concedere, eorum prætensiones justis solidisque, nixas esse fundamentis: largior ipsis insuper facultatem, hanc quæstionem, vel Jure publico, vel consuetudinibus municipalibus decidendi, quam-

quamquam in hoc decursu manifestum facturus sum, ex solo Tractatu Pacis de hoc processu judicandum esse. Cumque gratis & sine præjudicio, hæc omnia ipsis concessero, quibus causæ sibi victoriam spondere videbuntur, nihilominùs hoc Articulo, pro scopo mihi proponam unico, palàm facere, hanc invasionem & rupturam iniquam esse, contrariam juribus gentium, destitutam omni solemnitate, quæ ad Bellum legitimum desideratur. Item juramentum quod nullâ præviâ causæ cognitione Gallia exigit à populis, injustum esse, legibus Divinis, & obligationi conscientiarum adversarium, ac perniciosissimas adversùs omnes Principes trahere consequentias, ut fides subditorum, vel levissimo quovis auræ volubilis afflatu concutiatur, curam denique quam subditi justæ defensioni impendent, indispensabilis esse obligationis, nec citra calumniam indigno rebellionis, vel rupturæ nomine, posse maculari.

Si hanc causam ad normam Juris publici, & Gentium reducamus, Politici & Jurisconsulti fatentur uniformiter, hasce ad justum Bellum conditiones desiderari, nimirum authoritatem supremam, justum titulum, exactionem præcedentem satisfactionis prætensæ, cum obfirmatâ & invincibili contrariæ partis ad denegatam justitiam pertinaciâ, ita ut illatum damnum, nullâ quam armorum viâ reparabile censeatur: denique requiritur legitima denuntiatio Belli, per Decretum solemne debitè parti insinuatum.

Hic quidem meritò allegari posset Regem Christianissimum in hac causâ, non repræsentare personam supremi Principis, nec aliter spectandum quàm ut privatum Actorem, in particulari successionis materiâ litigantem, quandoquidem totum jus suum fundet in Consuetudinibus Provincialibus, inter subditos proprio ipsorum consensu, nullâ authoritate supremâ, ne quidem per Decretum simplicis approbationis interveniente stabilitis, quarum vi Rex Christianissimus nullum inferendi Belli jus, sibi legitimum potest arrogare. Verùm hanc mihi materiam, alio loco penitiùs investigandam, & discutiendam reservo. Hoc

autem in primis fundamentum ſtatuo, juſtum hic Belli titulum deeſſe, quamquam enim ſupponeremus jus Regis Galliæ validis firmatum rationibus, inficias tamen iri nequit, quin ſit controverſum, quodque pars contraria poſſeſſione pacificâ, & quidem ſuper Jure communi ſucceſſionum ſupremarum, ſuper Tractatu Pacis, renuntiatione authenticâ, teſtamento, & uſu continuo fundatâ, juridicè gaudeat. Jam verò in caſu dubio, leges omnes favent poſſeſſori, Actoris eſt probare & verificare jus ſuum, quod ſi Judicibus ipſis non ſit aliter licitum proferre ſententiam, quàm parte priùs debitè auditâ, *qui ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ.* Quantò iniquiùs eſt ut partes ipſæ, abſque ulla forma proceſsûs, ſibi ipſis jus dicant, ſi enim Regibus ac potentioribus propriæ cauſæ judicium competeret, & quæ ſibi deberi præſumunt armis vindicandi, quæ obſecro ſecura eſſet in mundo poſſeſſio? Si ſufficiat ab Cauſidico librum compilari ad ſtabiliendum jus, & conſequenter armis licitè perſequendum, ſi nullus Tractatus, nulla renuntiatio, nulla præſcriptio poſſit obſtare, nulla certè ſupererit ſecuritas Angliæ, Germaniæ, Hollandiæ, Lotharingiæ, Corſicæ, & Caſtiliæ, omnis apparatus in earum ruinam jam nunc erectus eſt, libri jam nunc compoſiti ſunt, cauſa judicata eſt in tribunali Franciæ, jus Belli fundatum eſt, arma parata ſunt, ſola deſideratur oportunitas poſſeſſionem rapiendi prædictorum Statuum, eodem Jure & titulo, eâdem ratione comprobato, & eâdem authoritate adjudicato, quâ nituntur qui nos impetunt. Caſſanus, Aubery, Arroyus, Petrus du Puy, & Author Anonymus Tractatûs *de Politicâ ratione & Dogmatibus Principum*, & infiniti alii turbidi ingenii ſcriptores, quibus Gallia turgeſcit, non minùs idonei cauſæ iſtius Judices, quàm ipſe rabula, qui Reginæ Chriſtianiſſimæ jura commentus eſt. Gallia certè eâdem prorſus moderatione quâ erga nos utitur, *non proferendi Imperii cupiditate, aut gloriâ Bellicæ laudis, ſed communi utilitate & officii religione compulſa*, abſque intentione rupturæ, poterit Status illos dejectis poſſeſſoribus antiquis, in ſuam poteſtatem redigere, nec erit omninò, quod

de

de irrogata ſibi querantur Injuria, ſi periculoſum hoc in ſe præjudicatum in præſens ſtatui patiantur, ſi propoſitiones horum ſcriptorum pro veris admittantur, nimiùm *quidquid acquiſitum eſt Galliæ per Reges, unitum eſſe Coronæ*, Arroyus fol. 90. *Authoritatem quam Carolus Magnus in Germaniam, Italiam, Hiſpaniam nactus eſt, in Ludovicum Juſtum, & conſequenter in Ludovicum XIV. fuiſſe tranſmiſſam*, Arroy fol. 86. *Jus illud eſſe inalienabile, in vim legis Salicæ*, quam pro divina haberi volunt, idem fol. 81. Denique *majorem Germaniæ partem eſſe patrimonium Regum Galliæ*, Auber. lib. 2. pag. 93. quis titulus Juſtior optari poteſt, ut ejus poſſeſſionem prætendant, nonne æquiore titulo arma movebit, ut proprium patrimonium repetat, quàm nunc ut ſucceſſionem adeat extraneam.

Ut bellum legitimè indicetur, non ſufficit prætentio legitima & authoritas ſuprema, debet inſuper adeſſe culpa & obſtinatio invincibilis alterius partis, ut ſcilicet *illi qui impugnantur propter aliquam culpam impugnationem mereantur* D. Thom. 22. quæſt. 40. Art. 1. quòd confirmat authoritate S. Auguſt. in Libro 83. ſuper Joſuë quæſt. 10. *Si gens vel civitas plectenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per injuriam ablatum eſt.* Ex quo licet inferre, non qualemcumque Injuriam, ſed enormen tantum & nullâ aliâ ratione reparabilem, extremum hoc remedium admittere: omne bellum quod non eſt abſolutè neceſſarium, legi Divinæ & Naturæ opponitur, prout idem D. Thom. explicat eodem loco, neque permittitur, niſi tanquam ultimum cæteris fruſtra tentatis medium, *Extrema primo nemo tentavit loco.* Ut ſuper his fundamentis, de Juſtitiâ hujus belli, certum ferre valeamus judicium, neceſſe eſt ſummatim diſcutere procedendi modum quem Gallia in exigendâ prætentione ſervavit, & tum demùm clarè eluceſcet, eam datâ operâ rectam qualiſcumque ſatisfactionis modo congruo aſſequendæ ſemitam ſolerter declinaſſe, noſque compluribus, (ut ſuprà declaravi) provocaſſe injuriis, & pro unico Intentionum ſcopo, non tantùm ſibi propoſuiſſe

belli

belli redintegrationem, verùm etiam arcanas insidias, ut nos falso Pacis & amicitiæ lenocinio delusos, inermes adoriretur.

Jus gentium & decoris leges hanc ipsis agendi normam præscribere videbantur, ut scilicet statim à Serenissimi Regis obitu, viâ Authenticâ & Juridicâ (prout praxis obtinuit inter Monarchas) per Ministrum nempè ad hoc destinatum, vel per Legatum ordinarium, in Aula Hispanica residentem, Reginæ significaret, causam prætentionum suarum, titulos exhiberet ac documenta, optatam satisfactionem decentibus terminis postularet, aut amicæ compositioni aperiret aditum, hisce frustrà tentatis, tunc solemni protestatione utendum se ad Arma coactum iri, si nihil ratione & precibus posset evincere. His omnibus præmissis, æquitas exigebat, ut haberetur recursus ad directum feudorum prætensorum Dominum, ut vel ejus se submitteret arbitrio, vel ut minimum, ejus interpositionem, patefactis eidem causæ suæ fundamentis, requireret. Verùm hisce neglectis, statim à confœderationibus & subsidiis Lusitano præstitis, ab arcanis ad seducendos subditos conspirationibus, & millenis artificiis, præmeditati belli prænuntiis & indiciis, exordium duxere, & loco debitæ intimationis aut requisitionis benevolæ, nudam & indistinctam Reginæ Matris Christianissimæ per modum familiaris cum Marchione de la Fuente colloquii, Insinuationem, sufficere crediderunt.

Hic apparet evidenter processus artificio plenus, qui non potuit nisi ad duplicem finem collimare, quorum unus erat, ut occasionem nanciśceretur belli nobis pro opportunitate sua indicendi, & violenta Armorum Consilia, quæ in nostrâ ad hanc petitionem recusatione fundare decreverant, aliquâ æquitatis specie cohonestandi. Alter finis erat, ut hâc ratione, nos de nostra defensione, & securitate, parùm solicitos, faciliùs opprimeret, & declinaret obstacula, quæ vicinorum Principum Officiis, quibus salutem nostram cordi esse noverat, conatibus suis objectum iri prævidebat, ne prævertendo hoc bello operam impenderent, à quo nullâ compositionis viâ diverti cupiebat,

bat, verebatur ſcilicet, ne ſi eum quem ſupra commemoravi, obſervaſſet procedendi modum, nos præmaturè ad defenſionis noſtræ ſolicitudinem erexiſſet, & à ſomno quo nos incautos & ſopitos, nimia in eorum Tractatibus & ſermonibus confidentia detinebat, intempeſtivè excitaſſet. Jure meritiſſimo apud ſe ſentiebat, omnes Status vicinos ſatis ſuperq́ue hujus belli conſequentias animadverſuros, ut componendo hoc diſſidio, omnem curam & authoritatem eſſent adhibituri: probè expendebat claram conſiliorum ſuorum manifeſtationem toti orbi aperturam oculos, & ex adverſo, ſubitam invaſionem, nullo præcedente officio, æternam ipſis ignominiæ notam inuſturam. Hiſce ducta rationibus, hoc infirmum inter duo extrema medium elegit, nobis videlicet, velut curſim objiciendi propoſitionem vagam, corpore formâq́ue deſtitutam, ut noſtrâ reſponſione, juxta rerum ſuarum commodum uteretur, gnara, nos ſuper tam debili fundamento nihil reſponſi daturos, quod ejus petitioni quadraret. Hâc aſtutiâ perſuaſit ſibi, nacturum ſe undè nos convinceret, nec ad defenſionem tamen adornandam concitaturum, ſibiq́ue conciliaturum moderationis laudem, nec à violentiâ tamen ceſſaturum; ſed neque Deum, neque ſani cerebri homines involvet hiſce aranearum telis, ad muſcas ſolum irretiendas idoneis. Nihilominùs frontem libellorum ſuorum his larvis veſtiunt, baſimq́ue indè conſtruunt ruinoſi ædificii ſui, hic exultant & innato ſibi ardore tripudiant, rati ſe hoc Clypeo omnia quæ in ipſos vibrare poſſemus tela, facilè retuſuros. Ut autem de hoc negotio rectè ſtatuatur, operæ pretium fuerit veritatem facti proponere, quam Author Libellorum, confictis mendaciis, in omnibus ſuis circumſtantiis conſpurcat. Scribit enim initio ſuæ præfationis hæc verba: *Poſtquam Regina Mater Memoriæ Regis Catholici Fratris ſui juſta perſolviſſet, accerſiri juſſit Marchionem de la Fuente*, quid hoc mendacio palpabiliùs, quid manifeſtiùs, conſtat enim ex relationibus Marchionis de la Fuente, & ab eodem datis in Hiſpaniam litteris, Reginam Matrem hunc ſermonem cum ipſo habuiſſe 13. Auguſti, ac proindè

diu antè mortem Regis Catholici, qui dumtaxat obiit 17. mensis sequentis. Pessimi res est ominis pro successu hujus scripti, quòd prima verba Præfationis, tam turpi mendacio fœteant, quo fit ut meritò conjicere liceat, ejusdem operis conclusionem, quâ nobis promittitur *Portus benedictionis*, *si in illorum dominationem delabamur*, ejusdem prorsùs fore conditionis: tanti enim Oratoris industriæ consentaneum est, ut servatâ proportione, Epilogus exordio correspondeat, ad perfectam operis structuram, quod ab ipsâ conclusæ Pacis die præmeditatum fuisse, indè apparet, quod fateri non vereatur datum non fuisse renunciationi consensum, nisi eo consilio, ut postmodum violaretur.

Ejusdem fidei sunt, quæ consequenter allegat, de commissione per Reginam Matrem datâ Marchioni de la Fuente, scribendi ad Reginam de hac materiâ, cùm nemo ignoret, Reginam vivente Rege, publicis negotiis se non immiscuisse, neque adeò imprudens fuerit, ut se ingereret huic negotio sibi incognito, quodque tunc temporis excedebat sphæram activitatis suæ. Ne autem sibi ipsi dissimilis sit, pergit mendacia mendaciis cumulare. Sermo quem Regina Mater habuit cum Marchione, toto cœlo differt ab eo quem nobis exhibet. Hæc sapientissima Princeps quæ Pacem ceu fructum laboris sui intuebatur, cui intimè perspecta erat inquieta Gallicæ Nationis indoles, & ardor gloriæ, cujus amore filii sui pectus incendebatur, voluit confidenter animi sui sensa, apud Marchionem de la Fuente deponere, ut communi consilio prospicerent de mediis sistendo huic impetui necessariis. Hoc stimulata desiderio, posuit ipsi ob oculos, anxietatem, qua tenebatur ob perniciosa, quæ animo Filii sui super vanis prætensionibus instillabantur consilia, hæc ut ad fratrem suum confidenter deferret, sollicitè monuit, ut tanto negotio opportunè intenderet, se quidem optare, ut quandoquidem Paci obtinendæ tàm multa consecrata essent, aliquanto adhuc amplior fieret relaxatio, ad eandem solidiùs firmandam, & obstruendum eorum ora, qui filium

lium ſuum in tam violenta conſilia præcipitabant; ſe verò nihil prætermiſſuram, ut eam filio moderationem inſpiraret, quâ ipſum præditum cupiebat. Hoc ſapientiſſima Regina ſermone, luculenter indicavit horrori ſe habere prætenſionem, quam non alio ducta motivo urgebat, niſi ut majorem perniciem præverteret. Marchio de la Fuente nunquam hanc in ſe commiſſionem ſuſcepit, (quidquid Author Libellorum, eadem qua priùs fide effutiat) liquet enim contrarium propriâ ejuſdem relatione, in Hiſpaniam hac de re tranſmiſſâ, & quiſquis vel è limine tantum ſalutavit, praxim negotiorum publicorum, facilè intelliget hoc fieri non potuiſſe, niſi Legati munus ignoraverit, quòd nullatenùs præſumendum eſt de Miniſtro tàm diuturna experientia conſummato, totque præclaris Legationibus cum publicâ orbis gratulatione functo: nimium quàm ſatis noverat, non decere Miniſtrum Regis Catholici, Procuratoris Chriſtianiſſimi Regis perſonam induere, nec tantæ ſe negotiationi citra expreſſum Regis ſui mandatum immiſcere, Legationis ſuæ finem unicum eſſe, ut Pacem inviolabiliter cuſtodiri ſatageret, non ut ejus fundamentis evertendis incumberet, ſermonem ipſum Reginæ non niti ſufficiente authoritate, ut indè poſſet fundare propoſitionem authenticam Domino ſuo exhibendam, aut negotiationi locum dare. Quare exiſtimavit ſe muneri ſuo abundè ſatisfacturum, ſi ejuſdem familiaris ſermonis libertate, Reginæ Matri rationes inſinuaret, ob quas ab iſtiuſmodi conſilio Rex deberet deſiſtere, eademque operâ, imploraret ipſius officia apud filium, ut illi conſilia juſtiora & moderatiora inſtillaret. Nihilominùs cùm Legatis incumbat minutiſſimas Dominis recenſere circumſtantias, prætermittere non potuit, quin per modum relationis Aulam Hiſpanicam informaret de Reginæ colloquio, ſimulque ſciſcitaretur quid ſibi incumberet agendum, ſi eandem materiam viâ magis authenticâ proponi contingeret. Rex ſupererat in vivis quando Epiſtola delata eſt, cumque eodem tempore incidiſſet in morbum, quo extinctus eſt, ſumma tunc rerum confuſio minimè

 tulit,

tulit, ut accuratum narrati quod in se nihil authentici continebat, examen haberetur, sat superque visum, si Marchioni scriberetur, ut si Regina Mater in hunc rursùm incideret sermonem, illam plenè de Serenissimi Regis nostri Juribus imbueret, eique palam faceret, hujus negotii decisionem, in Reginæ Administratricis, quæ nec Arbitra foret, nec Domina, potestate sitam non esse, nec proprio motu hac in re posse quidquam decernere. Huic responso plenè acquiescere visa est Aula Gallica, nihil ulteriùs prolatum, nulla propositio, nulla querimonia edita, Delegatus in Hispaniam Bellefond, ut apud Reginam urbanitatis officia persolveret, ne minimam quidem mentionem hujus prætentionis injecit. Sua Majestas Christianissima ab eò tempore non destitit, apud Marchionem de la Fuente, firmum ut videbatur Pacis religiosè colendæ propositum, novis promissis corroborare, ne vel semel prolato prætensæ Devolutionis nomine. Archiepiscopus Ebrodunensis (ut supra memoravi) Confœderationum & Mediationum propositionibus solitò studiosiùs incubuit, & quotquot vel minimum de Gallicis intentionibus scrupulum movere nitebantur, tamquam turbulentos & seditiosos traduxit: quin & mensibus proximè elapsis, cùm Marchio de la Fuente in Hispaniam profecturus, ultima Christianissimi Regis placita exciperet, Rex illum novis sub verbo & Fide Regiâ, Pacis & Amicitiæ constanter fovendæ pollicitis, oneratum dimisit. Hæc promissio nullâ conditione restrictâ, plena fuit, liberalis, & universalis, nullâ querelæ vel prætentionum mixturâ quæ vel minimam suspicandi ansam relinqueret. Tot tantaque argumenta Aulæ Hispanicæ meritò persuadebant, solicitudinem Reginæ Matris fuisse terrorem panicum, ex protuberante Pacis studio, vanam ipsi, & à vero remotissimam formidinem incutiente, promanantem, vel certè quod lachrymis suis, & rationum momentis, filii cor inflexisset, aut precibus quas inter ultimos longum valedicentis amplexus fuderat, commovisset: vel quod Rex Christianissimus prudentissimo Reginæ nostræ responso convictus destitisset à

proposito, aut illius saltem negotii decisionem in illud tempus rejecisset, quo Juvenis noster Monarcha, ad maturiores annos provectus, propriis rebus administrandis habilis efficeretur, ut hæc controversia, que nec tutò nec facilè, ante adultam Principis ætatem dirimi poterat, oportuniùs tunc, iisque mediis, quæ Amicos & Consanguineos decent, dirimeretur. Ex hac gemina narratione, quisque non præoccupatæ mentis facilè judicabit, colloquium Reginæ Matris cum Marchione de la Fuente, nequaquam haberi posse, aut debere, pro denuntiatione, imò nequidem pro simplici propositione, aut insinuatione, aut saltem introductione negotiationis, quod irrefragabilibus evincitur rationibus.

Primò, quia nec Christianissimi Regis nomine locuta est, nec eum saltem conscium fuisse declaravit, nec Regina Mater tunc regimini præerat, aut negotiorum publicorum administrationi. Jam verò denuntiatio neque est legitima, neque authentica, nisi ab authoritate suprema promanet, *Grotius lib. 2. de Jure Belli.*

Secundò, Sermo Reginæ non est habitus per modum formalis propositionis, debitâ authoritate suffultæ, sed privati tantum colloquii gratiâ, & providentiæ futura conjicientis.

Tertiò, nondum evenerat casus quo devolutio prætensa posset effectum sortiri.

Quartò, destitutus fuit omnibus documentis, nulla facta est specificatio rationum, titulorum, imò nec expressum fuit nomen prætensarum Provinciarum, quod absolutè necessarium erat, ut desuper directum & cathegoricum responsum causâ cognitâ redderetur.

Quintò, discursus ille, ad Ministrum, mandato & authoritate ad rem tantam, tamque inexspectatam in se suscipiendam destitutum, directus erat.

Sextò, sapientissimum Reginæ nostræ responsum, aditum non occludebat negotiationi ulteriùs promovendæ, imò viam aperiebat adducendis in contrarium rationibus, ut ei demonstrarent

Provinciarum tam perſpicuo (ut credi cupiunt) Jure ad Chriſtianiſſimam Reginam devolutarum, ceſſionem, alienationis titulo minimè nuncupandam, ſed potiùs Juſtitiæ, quâ impuberes Filii annos à funeſti Belli diſcrimine præſervaret.

Verùm ſolerter declinarunt penitiorem rei indagationem, minimè enim intentionibus ſuis quadrabat, negotium elucidari, nec è re ſua ducebant, urgere ſatisfactionem, quam conſequi verebantur, reſervanda nempè erat in Jure Devolutionis rixarum materia, ut latior indè campus Armis aperiretur, ideòque hæc operoſa rationum congeries, quæ nunc contra Reginæ noſtræ reſponſum in lucem editur, ſolicitè tunc premenda erat, ut non aliter quàm per infeſta mortariorum ora proderetur. Interim Lectoris Judicio linquitur expendendum, potueritne Regina, reſponſum majore æquitate, moderatione, & prudentia conſpicuum reddere. Vixdum deterſerat primas lachrymas, quas Chariſſimi Sponſi obitus copiosè eliciebat ex oculis, vixdum primoribus labris hauſerat notitiam rerum, ad Curiæ & Regni Statum pertinentium, cùm ecce, vice ſolatii quod ſibi à Principe tot nominibus conjuncto polliceri debuerat, repentè percutitur enormis prætenſionis telo, informi propoſitione, ad ſe non directâ, per viam obliquam introductâ, nullo legitimæ authoritatis fundamento ſubnixa, qua Provinciæ petebantur, ſuppreſſo illarum nomine, nulla titulorum ſpecificatione, nullis argumentis prolatis, niſi quæ niterentur ſtudio conſervandæ Pacis, cujus conſecutio nobis tam carò ſtetit. Quid ad hæc referre poterat, quam ſe de illis Juribus nullatenùs imbutam, nudumque ſibi & ſimplex adminiſtrationis abſque alienandi facultate Jus competere?

Nonne Galliæ partes erant producere fundamenta pretenſionis ſuæ, Reginæque oſtendere nihil alienari cuique ſuum tribuendo, eratne tam exigui momenti negotium, ut nuda petitione & reſponſo, videretur ſummatim decidendum? Annè ſibi inducere in animum potuerunt, ſuper nudâ aſſertione omni luce Argumentorum deſtituta, Reginam illis, in manus octo floren-

florentissimas & opulentissimas antiqui Patrimonii suæ Augustissimæ Domûs Provincias, ultrò projecturam. Ad hæc tamen in rabidos questus erumpunt, redditam à Regina rationem, recusationi deputant, solis Armis respondetur, nec priùs quid prætendant, aperiunt, quam instructi sint, ut eripiant; quo in responso, etiam illud observandum, non fuisse ad Reginam Matrem directum, neque datum per modum resolutionis, sed nudæ instructionis ad Marchionem de la Fuente, ut industriâ suâ conaretur rationibus suaviter avertere Christianissimi Regis indolem, à consilio propriæ ejus gloriæ infesto. Pro postremâ conditione justi Belli, Jurisconsulti omnes requirunt declarationem solemnem per decretum publicum legitimè intimatum partibus, hæc est conditio essentialis, quam Jus gentium usque adeò præscribit, ut quotquot Bella hac formalitate carent, manifesta sint latrocinia, nisi justæ defensionis necessitas ad vim vi repellendam primævo naturali jure ab hac obligatione dispenset. Ne quid omitteret Gallus, quo hæc invasio iniquior & majori scandalo obnoxia redderetur, hanc etiam conditionem studio prætermisisse videtur, & iniquo facto suo novam adjicere turpitudinem, in Libellis suis divulgando se Pacis infractionem non meditari, eo ipso quo omnes nobis Belli diras infert, ex quibus hæc necessariò consequentia elicitur, quod cum hoc Reginæ responsum, in denegatæ satisfactionis interpretationem trahi nequeat, quandoquidem defuerit forma postulationis, & ut summum possit haberi, pro simplici Juris exceptione, quam ad tuenda Filii jura Gallicis prætentionibus opposuit, consequenter defuisse omnem titulum justi Belli, quandoquidem leges, nequidem nuda Represalia concedant, nisi pars interpellata, omnem justitiæ viam occluserit. *L. Ulp. ff. de cond. indeb.* Cumque responsum sit Regi Christianissimo ratione juridicâ, ipsius erat, priùsquam extrema tentaret, illam aliis rationibus evertere. Hæc denuntiatio non modò necessaria est, & requisita Jure gentium, verùm insuper expressâ stipulatione designata Articulo XXIV. Tractatûs Pacis, cujus hic tenor

nor est: *Si (avertat Deus) inter utramque Coronam, post hac ruptura intercedat, sex mensium spatium ad bona, & personas utrimque deportandas, semper concedetur.* Quæ res necessitate absolutâ, denuntiationem juridicam & præviam requirit, sine quâ subditi prorsùs ignari, an se suaque recipiendi, sibique consulendi casus evenerit, Belloque improviso incauti implicabuntur. Nec etiam ad justi Belli indictionem sufficit, ut quis supremâ polleat authoritate, nisi insuper actio armis instituenda, ejus sit naturæ, ut eam possit Jure supremi Dominii prosequi, hoc est ut de Reipublicæ momentis ad summum Imperium spectantibus agatur, & in tali casu ejus potestas regulam accipit à suprema jurisdictione, vel jure in vim cujus agit, ita ut si in hac actione dependeat à legibus civilibus, & subjectis authoritati superiori, quantumcumque aliundè supremus sit, non habet jus indicandi Bellum, sed debet recurrere ad Tribunalia, quibus hujus causæ cognitio competit, neque in hoc negotio consideratur, nisi tamquàm persona privata. *Grotius lib.* 3. *cap.* 11. *de Jure Belli.* Experientia hoc quotidiè confirmat, hinc enim Fiscus præcipuè est introductus ad defendendum & persequendum particulares Regum actiones, viâ & formâ Justitiæ, quæ praxis foret inutilis, si Principes essent Judices & Executores in propriis causis. Ipsi quotidiè litigant adversùm proprios subditos, subjiciunt se sententiis Tribunalium: cùm itaque hanc Justitiæ formam erga proprios subditos inire non detrectent, longè arctiori nexu ad eam erga directos feudorum quæ prætendunt Dominos observandam obligantur. Causa in promptu est, Bellum nempè Juris est Gentium, privatæ actiones Juris Civilis, & Magistratus ac Tribunalia eum solum in finem instituta, ut vim coerceant; quæ liberè grassaretur, si promiscuè libertas cuique pateret, armis jura prætenta vindicandi: quo fit, ut dum via Juris Civilis patet, & Actor potentiæ superiori, quo ad hanc actionem subordinatus est, jus ipsi Armorum non competit, nec causam civilem ad Juris gentium normam, aut supremæ potestatis authoritatem potest extendere.

In

In ſubjectâ porrò materiâ, Rex Chriſtianiſſimus (prout ipſimet Libellorum Authores ingenuè profitentur) nudè tantùm exercet actiones Reginæ Sponſæ ſuæ competentes, quo nomine plus ſibi authoritatis arrogare nequit, quàm Reginæ competat.

Vel itaque actionem in rem intentare præſumit, tanquam Dux Brabantiæ, aliarumque Provinciarum, devolutæ ſucceſſionis titulo ad ſe pertinentium, vel ſolùm tanquam jus ad illas prætendens, utrumlibet dixeris, conſtat, liquidi juris illum non eſſe poſſeſſorem, prætentionem eſſe controverſam, alium verò pacificâ poſſeſſione gaudere, titulis plauſibilibus fundatâ, à qua licet Rex Chriſtianiſſimus eum vi deturbaſſet, nihil planè poſſent Judices in re principali juridicè definire, niſi rebus ante ipſum litis aditum in integrum reſtitutis. Hoc eſt certiſſimum Juris fundamentum, quod à nullo prorsùs Juriſperito in dubium vocabitur; æquè certum eſt, quòd tanquam Dux Brabantiæ, non competat ipſi poteſtas prætentionem ſuam, contra pacificum & antiquum poſſeſſorem armis repetendi, cùm hoc nomine ſuperiori poteſtati obnoxius ſit, cujus judicio ſtare tenetur, quòd cùm ejus actio ſit Juris indeciſi ac controverſi, ante definitivam ſupremi Judicis ſententiam, non pateat ipſi ad poſſeſſionem aditus, nec ſtabilire illic valeat dominationem ſuam, niſi acceptâ priùs à directo Domino inveſtiturâ, præſtitâque homagii fide.

Nec diffitebitur ipſamet Gallia, quin Brabantiæ Ducatus ac pleræque Belgii Provinciæ, quas avidâ ſpe deglutit, feuda ſint Imperio ſubjecta, quod utique profitetur his verbis circa finem Præfationis inſertis, *Quòd ejus intentio ſit eos ſtatus poſſidere, eodem prorsùs titulo, quo Rex Catholicus reſpectu Imperii*, & id ipſum in iiſdem Libellis apertiùs declarat, ubi pro fundamento principali Devolutionis prætenſæ, ad ſupremam Juriſdictionem Ducatûs Brabantiæ, allegat ſententiam Imperatoris Henrici, in favorem Principis Henrici adversùs patrem. Futilem hanc objectionem ſuo loco diluendam reſervo, juvat interim

hunc indè fructum elicere, quòd Cæsarem pro legitimo controversiarum, quæ circa supremam Brabantiæ Jurisdictionem oriuntur, Arbitro agnoscant, & quidem in hac speciali causâ, quam ad Devolutionis casum, violenter trahunt, quodque idem Imperator Duci inhibuerit ne quidquam attentaret in præjudicium liberorum, quâ ratione Author hujus scripti, jus Imperatorium ad judicandum, pronuntiandum, & interdicendum extendit, quæ omnia supremæ dumtaxat potestatis attributa sunt, ac licet hæc assertio, nonnullis limitationibus restringenda sit, iis tamen omissis, sufficiet in præsens propriam adversariorum allegationem in commodum nostrum derivare, eosque propriis armis impetere, tantò efficaciùs, quòd privilegia Ducibus Brabantiæ, Limburgi, & aliarum Provinciarum Belgicarum concessa, per Imperatorem Carolum IV. Sigismundum, Maximilianum, & alios evidenter confirment quòd maxima Brabantiæ pars, & aliarum Provinciarum, subjiciantur Imperio, disertis enim terminis continetur, quòd *dictæ Provinciæ feuda sint Imperii.* Neminem latet quin ejusdem Circulum componant, & ex consequenti (quantùm ad Jus publicum spectat) submissæ sint Imperii legibus, salvis nihilominùs specialibus Privilegiis, & propriâ Jurisdictione.

Extra dubium est, quòd omnes processus & controversiæ, quæ circa Successiones, Jura, Prætentiones, & Investituras, super Feudis Imperialibus oriuntur, directi Domini supremo Tribunali subjaceant, nec ulli membrorum vasti hujus corporis, specioso quantumvis titulo, aliorum Status viâ facti invadere fas sit, quin Imperii Jura convellantur, & cæteri Principes ad Aggressoris violentiam Armis reprimendam teneantur, quod abundè testantur innumeri processus in eadem materiâ apud legitima Imperii tribunalia etiamnùm pendentes.

Nemo etiam inficias ibit, Tractatus Monasterienses & Osnabrugenses, legem esse Imperii fundamentalem, ad cujus normam negotia ordinantur, declaratur hoc expressè inst. Pacis Germano-Gall. §. *Pro majori. Sit hæc transactio perpetua lex &*

pragma-

pragmatica Imperii Sanctio, & Gallia quidem eo libentiùs huic ſe regulæ conformare tenetur, quòd iſtius Pacis copioſiſſimos fructus perceperit. Extra controverſiam quoque eſt, quòd eodem Tractatu, Circulus Burgundicus expreſsè comprehenditur his verbis §. *ut eo ſincerior* : *Circulus quidem Burgundicus ſit maneatque membrum Imperii, poſt controverſias inter Galliam Hiſpaniamque ſopitas hâc pacificatione comprehenſus*, & conſequenter gaudere debet, Juribus, immunitatibus, & prærogativis omnibus Circulorum Imperii, in §. *ut autem*, & ſequenti recenſitis, & Garantiâ generali, & reciprocâ, allegatâ in eodem inſtrumento Pacis. In §. *tam univerſ.* caſſantur & annullantur omnia attentata, & viæ facti quæ hactenùs commiſſæ fuerunt, aut poſt hac intentabuntur, *quæ nullo præcedente legitimo Juris & executionis ordine fieri attentarive poterunt*, & in §. *ut autem proviſum ſit*, decretum eſt, quòd ad prævertendas controverſias, omnes Imperii Principes, in pacificâ jurium & prærogativarum ſuarum poſſeſſione ita ſint permanſuri, ut à nonnullo unquam, ſub quocumque prætextu de facto turbari poſſint. In §. *Pax verò concluſa*, expreſsè proſpicitur adversùs omnes vias facti, *& ſi quid eorum à quocumque violari contigerit, læſus lædentem in primis à via facti dehortetur, causâ ipsâ vel amicabili compoſitioni, vel Juris diſceptationi ſubmiſsâ.* Et §. ſequenti ſpatium trium annorum ad terminandas per alterutram viam controverſias deſignatur, & in caſum quo neglectis hiſce mediis, quiſquam ante elapſum triennium, vim intentare præſumat, *teneantur omnes hujus tranſactionis conſortes, junctis cum parte læsâ* (ſcilicet cum eo cui vis infertur) *conſiliis, viribuſque arma ſumere, ad repellendam injuriam, à paſſo moniti quòd nec amicitiæ, nec Juris viæ locum invenerit*, ex quo liquet illicita ſemper eſſe arma, ante tentatam per triennium compoſitionis vel Juſtitiæ viam. Verba quæ ſequuntur in eodem §. clariùs id ipſum explicant. *Et nulli omnino Statuum Imperii, liceat jus ſuum vi vel armis perſequi, ſed ſi quid controverſiæ, ſive jam exortum ſit, ſive poſt hac inciderit, unuſquiſque Jure experiatur, ſecùs faciens reus ſit fractæ Pacis.*

 Aut

Aut igitur Rex Christianissimus in hoc negotio agere intendit, nomine Reginæ sponsæ suæ tamquam Principis Imperii, vel tamquam personæ privatæ, in vim legum municipalium Brabantiæ: In primo casu more vasallorum, subeundum est ordinarium Tribunal, ad cujus Jurisdictionem Ducalis successionis controversiæ referuntur: In secundo, nullum ipsi Forum competit, quàm in feudali Curiâ, unicâ scilicet Consuetudinum localium interprete, & supremâ causarum feudalium inter privatos arbitrâ.

Quòd verò in eodem Libello ad speciem jactant, se prætensas Provincias iisdem prout Reges nostri legibus ac oneribus possessuros, protestatio est actui contraria, & facto destruunt, quod scripto asserunt. Quis exspectet eos legibus Imperii, in harum Provinciarum possessione, morem gesturos, qui eas omnes in invasione hujus Circuli pessundant: omnes sanè Principum Imperii in invicem prætentiones, hactenùs ad Judicium supremum delatæ fuerunt, semper à Juris processu ductum fuit initium, & quotquot, moræ pertæsi, jus sibi dicere moliti sunt, oppositos semper Imperii Status habuere, quin & illi ipsi, qui in Imperium armis insurrexerunt, nunquam extra Juris formas damnati, aut Banno Imperiali obnoxii extitere: adeò trita est praxis, ut inter controversias, quibus Germaniâ abundat, & copiam innumerabilem illustrium Familiarum, quæ hoc ingens Corpus constituunt, ne vel una quidem designari queat, quæ ab hac orbita impunè deflexerit: sola Gallia vix dum limen domûs ingressa, novam in ipso penetrali domûs legem ferre præsumit, & absque forma Judicii, pro Tribunali Thronum, pro Causidico Exercitum, pro Judice propriam sibi potentiam constituit. Quid ab ea submissionis Imperium speret, ubi Dominationem fuerit assecuta, si dum procatur, eidem insolenter insultat, & qualem homagii fidem ab iis præstolari licet, qui per feloniam, & oppressionem legum ac Justitiæ, gradum sibi sternunt ad hanc acquisitionem.

Ex his principiis, luce meridianâ clarioribus, facilè evincitur,

jura-

juramentum & homagium quod à Regis nostri subditis Galliæ nititur extorquere, seditiosum prorsùs attentatum esse, gentium Juri, & subditorum debito probisque moribus oppositum, & à nemine absque gravissimo erga Deum scelere, Læsæ Majestatis notâ erga Principem, & infamis erga se ipsum ignaviæ maculâ, posse præstari: (quamquam insisteremus illi hypothesi, quòd prætentio Regis Christianissimi sit æquitati consona. Lubet hoc quinque Argumentis efficacibus demonstrare.

Primum est, quod in præsentiarum Regi Catholico obstricti sint juramento solemni, à quo propriâ authoritate dispensari nequeunt.

Alterum, quòd hoc juramentum sit validum, & legitimum, quandoquidem fundetur super titulis authenticis, ordinis perpetui successionis sui Ducatûs, super investitura Imperiali, renunciatione Reginæ, Tractatibus Pyrenæis, & Testamento defuncti Regis.

Tertium, quod juramentum præstitum fuerit, post casum Devolutionis prætensæ, Rege Christianissimo interim nullam oppositionem aut protestationem emittente, quâ vel minimum de juramenti hujus stabilitate concipere possent scrupulum, & in hujuscemodi publicis actibus, tot post se momenta trahentibus, regula communis locum obtinet: *Qui tacet, consentit.*

Quartò, nulla hic unquam exstitit in contrarium sententia aut præjudicatum, quòd ipsos ab obligatione naturali possit eximere.

Quintò, quantacumque moveri possit, adversùs antiquum possessorem contentio, illius Judicium non spectat ad subditos, sed ei cui fidem jurejurando addixerunt parere tenentur, donec vel ipsemet remittat, vel superioris authoritatis Decreto liberentur, contraria enim praxis perniciosissimi foret erga aliorum subditos exempli, si ad nudam obvii cujusque assertionem, abjicere Domini obsequium, & cuivis prætendenti manus tradere promiscuè liceret: hoc certè intolerabilem saperet arrogantiam, quæ omnem Politicæ, & humanæ societatis disci-

plinam perverteret, si subditi tantùm sibi arrogare præsumerent, ut privato ipsorum Judicio, supremarum successionum controversiæ subjicerentur. Imò nec illud ipsum, in causis successionum particularium tolerabile foret, in quibus subditorum est, permanere sub obedientiâ Dominorum, quamdiu non eximuntur Superiorum Decretis. Juxta pessimum hoc principium, longè plausibiliori Jure, via nobis pateret, Burgundiæ & Britanniæ Ducatuum populos ad defectionem sollicitandi, & æquiore etiam titulo locorum subditos, nuperâ Pace ultrò à Gallis violatâ, concessorum urgere, ut novâ dominatione abdicatâ, ad avitam reverterentur. Pro Ducatu Burgundiæ vendicando, solemnis Pacis Tractatus nobis suffragatur, pro Britannia, jus successionis legitimæ, nec mihi dubium est, quin si populorum illorum arbitrio, lis illa committeretur, pedibus ac manibus in nostram statim irent sententiam.

Quid plura, summus rerum Arbiter, hanc ipsam quæstionem in eodem casu decidit, super captiosis Pharisæorum quæstionibus, licet enim jus Romanorum, (maximè autem Cæsaris) multis exceptionibus foret obnoxium, ejusque possessio non adeò firmis, prout nostra, niteretur fundamentis, præcepit nihilominùs, ut tributum penderetur possessori: præclarum sanè, & irrefragabile documentum, non esse subditorum de Jure judicandi, sed ei solum, qui realem supremæ potestatis possessionem obtinet, ejus gestat insignia, ac Jurisdictionem exercet submissè obtemperandi.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Abdicationem Reginæ, justam, irrevocabilem, necessariam, publico bono utilem esse, nec continere in se causam ullam, ob quam nulla aut alteri parti injuria sit, ipsi quoque Reginæ debitam Dotem assignatam fuisse.

DEtectâ Gallici processûs injustitiâ, reliquum est, ut postulationis manifestaria iniquitas, eâdem in luce omnibus spectabilis proponatur. Hoc dum ago, ordinem eum retinebo, quem in Libellis suis servarunt adversarii, ut ex vicino arctiùs illos premam, consuetâ in Bellis usi methodo, arcis vallum priùsquam tentarunt rumpere, vires omnes ad extima munimenta occupanda converterunt. Animadverterunt renunciationem à Reginâ Galliæ factam, firmissimum obicem esse, accessus omnes prohibiturum; ad hunc ergo disjiciendum, validiores direxere machinas, parum tamen consideratè. Quid enim, an non perspexere viri illi adeò oculati, se dum opus hoc suffodiunt, subruto fundamento, omnem Tractatum Pacis evertere, quo quantùm Hispanicis ditionibus detractum, Gallicis tantùm adjectum est, adeoque excidere se omni Jure per Pacem in Urbes Provinciasque acquisito: quâ etenim ratione parta in posterum possideant citra apertam injustitiam, si pactis per quæ hæc illis transcripta sunt stare detrectent, certè aversus dissilit cuniculus ille, & suos obruit Authores. Nulla est Reginæ abdicatio, ergò nullum est Pyrenæum fœdus, & in eum in quo tunc erant statum cuncta reducenda sunt, non est quod ex conventione illa justæ ac stabili acquisitorum possessioni titulum petant, quem jam nec coloratum queant allegare, ipsi

in omnia nos jura reſtituunt, quotquot ex arbore, cujus radicem moliuntur ſuccidere decerpſerint fructus, tamquam malâ fide percepti Domino reſtituendi ſunt.

Quis hinc mecum non agnoſcit, inconſultam Scriptorum iſtorum temeritatem, quibus domeſticum & forenſe Regis ſui lucrum, præ publicâ ipſius exiſtimatione in oculis fuit, quomodò enim Reginæ abdicationem queant controvertere, niſi bonam Regis fidem in dubium adducant. In Matrimonium non niſi præviâ renunciatione conventum eſt, huic iſtud tamquam baſi, & ex utroque nata Pax innititur, indiſſolubili nexu inter ſe illa omnia coagmentata ſunt; primum ſi nutat, reliqua collabuntur. Adfuere Regi Chriſtianiſſimo in eo tractando negotio, viri & ingenio perſpicaces, & rerum uſu verſatiſſimi, qui ignorare non potuerunt, validène abdicare ſe juribus Sereniſſima Hiſpaniarum Infans poſſet. Res tota non præcipiti feſtinatione deproperata, ſed lentè præmeditata, ſed maturis utrimque deliberationibus, mutuiſque primorum Miniſtrorum litteris, alloquiiſque diſcuſſa, adeoque tempus non defuit attentiùs examinandi eas omnes Juris ſubtilitates, quas acutiſſima ingenia in negotio tanti momenti, vel è libris potuerunt lectione eruere, vel propriâ meditatione excogitare. Si ergò agnoverunt (quod ipsâ luce manifeſtiùs conſtare modo jactitant) abdicationi illi nullam vim ineſſe poſſe, fateantur ſimulatè & perfidè egiſſe ſe, dum eamdem abdicationem tamquam conventionis fundamentum admiſerunt, approbarunt, inſeruerunt ſingulari Articulo Pacis Tractatibus, promiſerunt in publica Parlamenti acta referendum, denique firmaverunt jurejurando: aut ſi tam fraudulentæ ſimulationis pudet, ingenuè accuſent ignorantiam ſuam, dicantque ſe invaliditatem illam, antequam in pacta convenirent haud quaquam perſpexiſſe, quæ modo velut disjectâ nebulâ emicans Sol, tam manifeſtæ veritatis luce oculos everberet. Quo tandem humanum commercium deducitur, ſi ſolemnes conventiones inter præcipuos orbis Reges, ad commune orbis Chriſtiani bonum, ad ſubjectorum populorum tran-

tranquillitatem, ſecuritatem vicinorum, initæ ac juratæ, mentis reſtrictionibus, & captioſis fori cavillis ſubjiciuntur. Quid, ſi mercatoribus, ſi privatis civibus, permiſſum, ſolo commercii bono formare ſibi propriam ex æquo & bono contrahendi formam, quâ litigioſas Curiæ captiones devitent, an fuerit conveniens, Principes ſummos in publicis fœderibus communem omnium ſpectantibus ſalutem, eâdem exemptione non gaudere, ſanè ſi aliquâ pernicioſum illud recipiatur axioma, & jus publicum ad privati leges redigatur, videbimus continuò tot enaſci inter Reges Bellorum cauſas, quot lites quotidiè inter cives agitantur.

Verùm ut in fundum hujus materiæ altiùs deſcendamus, producere juverit aliquot (ut aiunt) facti circumſtantias, ubi diductæ fuerint, plurimum lucis addituras.

Ubi Gallia Bello magis laſſa, quam expleta, ad Pacis conſilia tandem animum applicuit, & ut gliſcens in viſceribus tempeſtivè curaret inteſtinum malum, externis expeditionibus ſtatuit ſibi tantiſper ſuperſedendum, viri utrimque in rebus politicis exercitatiores, futuriqueque in longum providi, prudenti præſagio judicarunt nihil ſolidum ac durabile concludi poſſe, niſi turbarum ante omnia exſcinderetur radix, & ratio aliqua inveniretur, quâ non tantùm & veteres ſopirentur diſcordiæ, & præcaverentur novæ, ſed firmo æternoque nexu ita jungerentur Coronæ, ut quæ inter has fuit ſemper æmulatio, & ingenita populis antipathia, penitùs extingueretur, obducendum aliàs, non perſanandum vulnus, quæque adhiberentur remedia, lenitura quidem dolorem, plenam tamen ſanitatem, dum inhæret plagæ ſuppurans ſpina, nunquam allatura. Poſt longam diſcuſſionem nil in præſens efficaciùs, quam ut Sereniſſima Hiſpaniarum Infans Maria Thereſa Regi Chriſtianiſſimo deſponderetur, atque ita Tractatus Pacis Sacramenti obſignaret Sigillum, conjugalis amor concordiam, affinitas redintegratam amicitiam magis confirmaret.

Probatur per Inſtrumentum Pacis & Articulum Renuntiationis.

Hiſpania quæ Pacem, ſed firmam nec umquam violandam

ex-

expetebat, medium hoc inter cætera maximè idoneum censebat, atque efficax iis avertendis calamitatibus, quibus Potentissimorum Regnorum collisio tot per annos orbem afflixerat: verùm occurrebat grave obstaculum, ob leges utriusque Coronæ duplici in capite sibi oppositas. Primum illud erat, quod Hispaniæ Jura, ita Mares Fœminis in hæreditariâ successione præferant, ut tamen has, in eadem linea deficiente masculâ stirpe, ad illam admittant. Galliæ è contra ita in perpetuum fœminas omnes excludunt, ut his præteritis ad extraneos successionem transferant.

Secundum differentiæ caput, quòd antiquissima Hispaniarum, & quâ tamquam basi præcipuè nititur Dominatus, constitutio sit, declarans regnum, nec alienari, nec alteri ulli annecti posse, ut sub propriis semper Regibus subjecti feliciùs vivant.

In oppositam planè partem abit Gallia, utpotè quæ sibi istud arrogat (quemadmodum ex illius gentis Scriptoribus, & Jurisconsultis liquet) ut quidquid à Regibus Galliæ quovis titulo acquisitum aut possessum fuerit, jam Coronæ annexum censeri, ut propria illius ditio sit, nec unquam valeat disjungi, ideòque urbes Provinciasque istiusmodi, cùm in iis quæ supremam successionem, tùm in his quæ publicum regiminis statum spectant, iisdem quibus totum Regnum legibus, eidem Gubernationis formæ subjici debere: undè deducitur, si Monarchia Hispanica, aut pactis nuptialibus, aut aliâ ratione ad Regem Galliæ transferretur, inseparabile Galliæ membrum fore, uti hodie est Britannia, & variæ insuper Provinciæ quæ Gallis accessêre. Insuper deficiente legitimo è Regiâ stirpe Successore, transituram ad collaterales, eosque omnes ad quos Galliæ Lilia devolverentur.

Tam concors Gallorum omnium in hac re consensio est, ut supervacanea futura sit omnis probatio, haud difficile quidem foret arrogatum istud, temerè Jus, convellere, sed hoc non est præsentis instituti, satis mihi sit illud exposuisse, tamquam receptum usurpatumque longo abusu, veriùs dixerim quàm

lau-

laudabili consuetudine, retinendum tamen ab illis mordicùs, uti & facta & scripta declarant.

Hæc vix conciliabilis legum pugna, suspensos diu Hispaniæ Consiliarios tenuit, exoptabant quidem Pacem, sed tam duræ servitutis pretio, hæc minimè emenda videbatur, nec enim tot Regnorum Moderatores, umquam inducere potuissent animum, ei se periculo exponere, quo prævidebant se alieno dominatui subjici, & Regnum Hispaniæ, tam multis imperans, in formam Provinciæ redigi posse. Regina Mater Galliarum, quæ tamquam Mater & Amita, teneriùs utrimque afficiebatur, ac vehementiùs cupiebat, duo tam cara sibi capita, vinculo adeò optabili conjungi, omnem adhibuit operam, ut quidquid vota sua differre posset, submoveretur. Excogitatus ergò hic modus, qui justos Hispaniæ metus eximeret, ut nempè nuptiali contractu, Serenissima Hispaniarum Infans, plenè abdicaret Jus omne, quod quovis titulo vel prætextu in amplam istam Successionem, aut aliquam hujus partem umquam posset prætendere, ut ita nullo casu Monarchia, vel ad alienum devolvi Imperium, vel aliquo membro posset mutilari.

Eò faciliùs utrimque in hanc conditionem conventum est, quòd recens in oculis esset exemplum, ipsius Reginæ Matris, à qua facta renuntiatio cum ea quæ modò exigeretur, in omnibus similis esset, quo ad formam, substantiam, finem, nempè ut dissidia, quæ ex pugnantibus circa successionem legibus certò forent exoritura, præciderentur. Connubium hoc, atque adeò quæ hujus basis erat abdicatio, ita à Gallis passim in scriptis celebrata est, ut ex ea numquam dissolvendam Concordiam ominarentur, uti videre est in Libro quem Jacobus de Bie de Galliæ numismatibus edidit, in quo producit numum præferentem Ludovicum XIII. & Elisabetham Austriacam consertis inter se manibus, circumscriptâ hac Epigraphâ: ÆTERNÆ FOEDERA PACIS, sed mobilior est Gentis levitas, quam ut in immobili æternitatis puncto diù queat consistere.

Hispania ex candore suo æstimare semper solita alienum,

conditionem hanc admisit, credideritque eâ præcautione Salicam cum Hispaniæ legibus conciliandam, atque libertati populorum, authoritati antiquæ Gubernationis abundè consultum fore.

Constat ex Actu Renonciationis, & tractatu nuptiali, Reges inter se convenisse ante Renuntiationem prædictam.

Gallia quoque cùm & æquam & usitatam agnosceret, ambabus eamdem manibus cupidè amplexata est, præsertim cùm ex eâ prospiceret nascituram Pacem, quæ illos in perpetuam tot occupatarum urbium possessionem mitteret. Concepta est solemnis abdicationis formula, addixit Rex Christianissimus curaturum se, ut Parisiensis Parlamenti Actis insereretur, atque perpetuò rata foret. Hæc consensio, Paci paulò post conclusæ, præcipuum velut fundamentum præjactum est.

His inter partes transactis, Rex Catholicus, qui eo amore in Principem Filiam ferebatur, ut unius Regni totius commodis præhaberet, citra illius assensum noluit quidquam concludere, ideòque rem totam ipsius permisit arbitratui, suam ut sibi fortunam cuderet. Hinc illi proposuit Galliæ Sceptrum ac Sponsum Regem Christianissimum, atque ornamenta quæ utrumque commendant: indè successionem potentissimæ quidem Monarchiæ, sed incertam, quæ illam non nisi ex obliquo spectaret, exposuit illi leges irrevocabiles, quæ vetarent ne in unum caput geminæ illæ Coronæ convenirent, adeoque non sinerent servari ab illa spes & jura ad unius obventuram fortè successionem, si certam alterius possessionem præferret, deliberationem se illì relinquere, utrumque cùm obtinere non posset, eligeret alterum, quod & è genio, & re suâ magis esse judicaret. Non diu generosam Principem in ancipiti tenuit deliberatio, cùm enim à primis annis propensior erga Franciam benevolentia instillata fuisset, cùm adeò afficeretur Regi Christianissimo, ut illum omnibus mundi totius Imperiis, facilè antehaberet, titillaret insuper tam potentis, tam nobilis Coronæ, non illaudabilis ambitus, in partem sibi faventiorem inclinavit, liberè abjecit ea, quorum possessionem tribuere posset, sola eorum mors quam vellet adjici de suis, & in illa immisit manum, quæ relicti

non

non tantùm paria, ſed potiora cenſuit: incertum ac futurum, præſenti ac certo, ſpem rei poſthabuit, cupidè ac lubenter iis omnibus expedivit ſe prætentionum iſtarum retinaculis, jam exoſis, dum prohibent ne votis ſuis optatâ ſorte fruetur. Certè nemo (niſi qui prudentiæ illius velit detractum) in dubium auſit vocare, quin ſi liberum illi foret, deſertis iis quæ poſſidet, in priſtina jura reſtitui, quàm libero animo abdicationi ſuæ ſubſcripſit, ut Coronam Galliæ acquireret; tam generoſo quod ſcripſit haberet ratum, ut capiti impoſitam conſervaret.

Ex hac ſincera narratione, ex inſtrumento abdicationis, & Articulo Pacis XXXIII. varia obſervari poſſunt, & reduci principia omnes adverſæ partis molitiones everſura.

Primum eſt conventionem hanc connubialem, & abdicationem nuptiarum causâ factam, membrum eſſe Pacis primarium, & quamvis ſingulari inſtrumento diſtincta ſit, unum tamen eumdemque Tractatum componere, prout dicto Artic.XXXIII. diſertè declaratur, ubi dum de pactione nuptiali agitur hæc ſubjiciuntur verba: quæ (ſcilicet nuptialis pactio) *Licet ſeparata ſit, eamdem tamen vim ac vigorem obtinet, quàm præſens Pacis Tractatus, cùm ſit pars ejus præcipua, & ad concordiæ ſecuritatem ſtabilitatemque pignus præſtantiſſimum.*

Alterum, tam Pacis quàm Matrimonii Tractatus, bonæ Fidei, non ſtricti juris Contractus eſſe, quorum proindè & regula & interpretatio, non aliundè quàm à causâ, fine & utilitate ex his in publicum promanante petenda ſit.

Tertium, Tractatus hos inter duos ſupremos Monarchas initos, nec ſubjici ſingularibus legibus, nec à locorum conſuetudinibus pendere, leges eſſe utriuſque Regni fundamentales, quas non alio Jure quàm communi gentium metiri oporteat. Obligationem quam inducunt naturalem eſſe, quam nulla Civilis Juris conſtitutio tollere poſſit. Legem eſſe, inter ſupremo pollentes Dominatu, non diſpenſabilem, quam nec ipſi ſine injuſtitia violare, nec niſi ex communi conſenſu corrigere poſſint. Reges ſupra privatas leges locat Majeſtas, addere his &

Exprimitur id evidenter in actu Renunciationis.

1. Jura Naturæ de Reg. Jur.

demere aliquid pro libitu possunt, ut Codicibus Henrici ac Ludovici: sed hæ illos æqualiter utrimque stringente nodo alligant, cumque bases sint tranquillitatis publicæ, in aliam formam ab ea quam sigilla Regia impresserunt, mutari non possunt.

Principibus quorum uni Deo subjecta potestas est, dum ex hac agunt, non nisi duplex relictus est modus exortas controversias decidendi, aut armatâ manu, aut amicâ conventione finiendæ sunt. Et primus quidem non nisi ad secundum via est. At verò si nec hic firmi solidique habet aliquid, si quæsita ex Juris privati subtilitatibus levi causâ dissolvere licet contracta fœdera, jam nusquam in humanis rebus securitas, & in illam perturbationem rerum confusionemque revolvimur, quæ coegit in hominum conventum Reges Magistratusque inducere, prohibituros ne penes solam vim subnascentium controversiarum arbitrium foret: jam verò quemadmodùm Principes ideò communi consensu stabiliti sunt, ut exorta inter subjectos litigia componant, ita salutari consilio introductæ Tractationes, conventionesque, ut dissidentes inter se Reges concilientur, illæ horum Judices ac Magistratus sunt, quibus solis augusta debeant inflectere, prout cives legibus suis volunt submissos. Francia contra Dominatum Regium præscriptionem non recipit, contra omnes Judices excipit, reliqui ergò erunt soli Tractatus publici, qui limitem aliquem figant immensis prætentionibus, quas in omnem ferè Europam, explicant. Quòd si & illud medium impunè permittitur rejicere, non supererit nisi armata violentia, quâ fremente silere cogentur leges, & Principes cæteri omne commercium subterfugere.

Quartum, Abdicationem hanc Tractatûs Nuptialis inseparabilem conditionem, & veluti animam esse, sine quâ hic numquam conceptus, multò minùs conclusus esset, adeoque nec Pax coaluisset, prout Articulo superiùs adducto exprimitur.

Quintum, non provenisse illam ex libera voluntate defuncti Regis, multò minùs ex peculiari erga liberos secundi Thori propensione, sed expressam necessitate non evitabili, quam

Lex

Lex Salica adfert, iniquâ extensione quâ Gallia hanc protendit ad eas omnes ditiones quas illius Imperio fortuna subjicit: hæc necessitas, tùm cura boni publici, & augustæ Familiæ conservandæ eò redegere Serenissimam Infantem, ut ascendere Galliæ Thronum, non nisi per hanc abdicationem veluti gradum posset.

Sextum, non compulsam coactamque à patre Rege, cui tam tetra de Principe longè benignissimo, suspicio incidat. Quid, an ille cujus per omnem vitam, ea semper clementia, ea indulgentia, non tantùm erga fideles subjectos, sed hostes quoque rebellesque emicuit, ut nimia peccare multis videretur, erga Filiam delicias suas, tam durum se, qualemque numquam inimicis præbuerit? Quàm atrox hæc calumnia Regi optimo, sine ullo prorsùs fundamento impacta, quid enim producitur: certè si coactio intervenisset, in alicujus sinum deposuisset querimoniam, aut alio saltem Indicio sensum prodidisset, quòd si manifestiora signa repressisset patris reverentia, at internus animi mœror in vultum, in oculos se infudisset. Ægrè celantur affecti animi motus, premas licet sollicitâ curâ foras prorumpunt, & quid intus agatur produnt. At quidem profecta ad nuptias, haud dubia lætitiæ argumenta in vultu emicarunt, abdicationi manu tam promptâ firmâque subscripsit, ut facilis vel hinc fieret conjectura, pluris ab illa fieri quod acquireret, quàm quod dimitteret. Jam verò lachrymæ, qualibus quotidiè funestum hoc Bellum deplorat, cujus tamen innocens causa invita prætexitur, nonne apertissimè testantur exosum illi Bellum, cujus etiam faustos eventus fletu prosequatur? Nonne quot ex oculis fundit guttas, tot abdicationi suæ appendit sigilla, quibus fidem faciat, se non coactè, sed liberrimè in eam consensisse: & sanè si violentè hiç fuisset expressus, quis non videt quin simul libertatem nacta erat, protestatura fuisset de vi, præsertim cum dubitare non posset, summam se eo facto à Galliâ gratiam inituram. Ipsa profectò si rogetur, ingenuè fatebitur, se nec reverentiali metu, nec obedientiâ, imò nec desiderio, Regem Patrem

Probatur per Actum Renontiationis folio 17.

Patrem demerendi, ſed expenſis prudenter rationum momentis, liberâ electione, propriâ propenſione, in eam ſententiam ſponte iviſſe. Regem Patrem non dico minis aut Imperio pro paterna authoritate, ſed nec ſuaſionibus uſum, expoſuiſſe nudè rerum ſtatum, arbitrium illi plenè permiſiſſe: ſe è duobus eligiſſe, quod putaret conducibiliùs, nec electionis pœnitere; neque ſi eadem rursùs daretur optio, aliter electuram. Undè licet concludere, quandoquidem hæc abdicatio, nec metu, nec vi expreſſa, ſed liberrima fuerit, nullâ Juris Civilis exceptione in dubium revocari poſſe. *Qui metum non intendit, promiſſio validè fiet, nec ſcrutabimur quid aut quatenùs ejus interſit, quæ Juris Romani ſunt ſubtilitates.* Grotius lib. 3. cap. 19. de Jure Belli.

Septimum, nullam hic læſionem intervenire, cùm Galliæ Regina, grandiùs aliquid acquiſierit, quàm dimiſerit, utrumque autem ſimul, ob contrariam legum pugnam, uti antè oſtenſum, obtinere non potuerit: quare veriùs hanc ſpeciem quamdam permutationis, quàm nudam ceſſionem dixeris, dedit quippè ut acciperet, dimiſit ut acquireret. Nunquam leges concedunt reſtitutionem in integrum minorenni, ſi melior illius per Contractum reddita eſt conditio, quin eo caſu bona etiam pupillorum alienari patiuntur. Adde vix fieri poſſe, ut in Regiis Contractibus iſtiuſmodi læſionem probes, & legitimæ æquam quantitatem definias, quæ niſi æſtimatis bonis ſtatui prudenter non poteſt, deducendæ neceſſariæ priùs impenſæ & onera ſunt. Jam verò Reges qui iſtud efficiant, implexa ac intricata fermè horum negotia ſunt, annui proventus & alieno ære, & debitis, & quotidianâ expensâ ita gravati, ut ſi ad calculos omnia vocentur, perparum ſæpè ſuperfuturum ſit, de quo liberè ac pro Jure ſuo poſſint diſponere. Regiarum poſſeſſionum, non perindè ac privatarum æſtimatio iniri poteſt. Hanc ab cauſam apud omnes Principes more receptum, ut filiabus nubentibus, certam Pecuniam, quæ dotis & legitimæ ſit loco, aſſignent, nec tamen ideò bona excutiuntur, aut certum eorum pretium ſtatuitur. Morem illum Chriſtianiſſimi Reges erga Filias ſuas ſemper

per retinuerunt, nuper eumdem usurpavit erga Ducissam Aurelianensem Angliæ Rex, nec noster, nec Germaniæ Principes alio erga suas utuntur; Interim quis de læsione, de supplenda legitimâ conqueritur, litigiosæ istæ privatorum actiones sunt, indignæ Regum magnificentiâ, qui in contrahendis connubiis non Pecuniæ lucellum, sed Statûs sui conservationem soliti sunt præ oculis habere.

Præterea (quod antè monui) considerare oportet hoc matrimonium, non ut singularem Contractùm, sed tamquam membrum Tractatûs Pacis, cui ita implexum est, ut singulos Articulos propriâ relatione respiciat, cùm autem dicto Tractatu, in gratiam memorati matrimonii, concedantur Regi Christianissimo plures urbes Provinciæque, quæ tantum dominatui illius adjiciunt, & pretio longè excedunt, quod pro legitimâ posset Regina exigere: ad hæc cùm hæc tot ditionum cessio in Reginæ quoque utilitatem cedat, quandoquidem arctissimum vinculum quo Regi Sponso connectitur, omnia vel commoda, vel incommoda faciat communia, consectaneum est hanc ipsam cessionem legitimæ loco ibi posse imputari. Matrimonium quippè in gratiam Pacis, Pax ratione matrimonii conciliata sunt. Adeò hæc duo inter se implexa sunt, quorum alterum absque altero numquam exstitisset, ut pacta connubialia intra ipsam rei essentiam inclusa sint, si causa, finis, effecta, & tota Negotiationis series penitiùs inspiciantur.

Quàm futile autem illud est, quod contra obtendunt, nempè quæ nos cesserimus, jam capta Bello in potestate habuisse, tùm eo loco fortunam nostram suamque fuisse, ut si perrexissent uti, penitùs nos nullo negotio debellassent. Quasi verò beneficii loco habere nos velint, quod latronis beneficium solemus nominare, si dum spoliat non mactat. Insolentior illa arrogantia est, credere desponsam habere fortunam, præsumere victorias, disponere Bellorum eventus, quos unus æternâ Providentiâ Deus ordinat. Orbi universo Manifestum est, si in arctum compulsæ res ad consilia tractandæ cum Lusitaniâ concor-

diæ nos adegissent, haud impari marte nos vim non excepturos tantùm, sed illaturos fuisse. Ipsimet illorum cives pertæsi Bellum tam diuturnum, exhausti tributis, cladem tantum aliquam exercitûs sui, avidè præstolabantur, ut aliquando exequerentur quod animo dudum coquebant, Principibus vicinis constitutum sistere progressus Gallicæ potentiæ, gravis omnibus suspectæque: Tyrannus Angliæ, qui vel cum domestico damno Angliam Galliæ veluti stipendiariam militare coëgerat, morte sublatus malè occupatum Thronum legitimo cesserat Successori, qui cum Princeps est, & singulari perspicaciâ, & rarâ animi fortitudine, partâque in rebus duris experientiâ præditus, dubitari non poterat quin conjungens suorum obventurorum Regno emolumentorum, innumerarum memoriam injuriarum, brevi grande lanci nostræ additurus fuisset momentum: Instructos numerosósque habebamus variis locis exercitus, usque eò, ut annis qui Pacem proximè præcesserunt, in hostes procurrere potuerimus. Norunt qui acutiùs inter eos vident, arcanas rationes, quæ Cardinalem Mazarinum ad hanc Pacem impulere, inter quas non moderatio, sed metus futuri primum locum tenuit; sed ut jactationes illas dissimulanter prætercam, an non grande Galliæ emolumentum accessit, dùm quæ Bello ceperant, eorum sibi possessionem perpetuam stabilivere, tùm justo titulo obtinent, quòd non nisi violentè usurpabant, dùm liberi sunt amittendi metu, exempti tot sumptibus, quos ad tutelam conservationemque partorum facere necessariò cogebantur.

Sed demus illis aliquid, ita tunc attritæ fuerint vires nostræ, ut nisi arma posuissent, facilè illis fuerit Regem nostrum solio deturbare, an satis vident quid indè conficiatur haud putem, namque illos ipsos petit, quæ hinc deducitur, gemina consecutio. Primam colligo, nisi Pax necessaria extinxisset grassantis Belli flammam, tota procul dubio deflagrasset Hispania, ergò juncta Matrimonio Serenissimæ Infantis abdicatio, Monarchiæ salus, lapsantis Imperii conservatio fuit. Hoc si assentiris uti debes, inferam non potuisse tantùm, sed debuisse Regem Catholi-

tholicum eam ob causam Infantem ad abdicationem istam inducere, cùm privatorum bona, publici Juris sint, & in tali casu amoliendo communi exitio indubiè impendenda: prævalet enim bonum publicum privato, adeòque dum istud periclitatur, cum hujus jactura succurrere etiam in conscientia juxta Doctorum Sententiam quisque obstringitur: quare dum Regina incertæ successionis spem, & quæcumque sua Jura communi utriusque Coronæ bono immolat, heroïcum sanè edidit facinus, omniumque dignissimum prædicatur, cujus tamen splendorem offuscare ipsa Gallia hodie nititur.

Arist. Lib. 1. Cap. 10.

Salus Populi suprema Lex.

Altera quæ ex eadem insolescentis Galliæ assumptione conficitur Illatio hæc est, non solum Reginam Galliæ spontaneâ Jurium cessione, bono publico consuluisse, sed in primis sibi, cùm detrectare illam non posset, nisi se fortunamque omnem suam prostitueret. Ut quid enim Jura illa servasset sibi, communi mox naufragio absorbenda? Ut quid de retinendis titulis laborasset, quos armata jam jam violentia certò rapuisset: tantum abest profectò hæc abdicatio damnosa illi fuerit, ut in lucro reponere debeat, cùm abdicando dubiæ Successionis titulum, quemque per hostilia Arma diu conservare non posset, tam potentis Regni nobile Diadema sibi peperit: nam inutiliter & malè assignata illi fuisset dos, etenim devolutis Paternis ditionibus in eorum Dominatum, qui ex iis quæ semel sibi quo Jure, quâ Injuriâ vindicarunt, nec terræ pedem, aut restituere queant, aut divellere, quid quæso illi superfuisset quod posset dicere suum. An autem Galliæ Rex connubio suo dignatus tunc fuisset Principem inopem, exulem, & solâ virtute dotatam, an illa cum eo convenire in manum, quem detractis Regi Parenti spoliis ovantem lugens intueretur, nonnè prudentissimè omnibus hisce incommodis abdicatione suâ occurrit, atque ad eum sibi Thronum stravit viam, in quo hodie considentem suspicimus. Quis læsionem hic ullam causari potest, ubi ex salubribus Jurisconsultorum consiliis, de damno vitando, captando lucro, res tota transacta est.

Jam verò allegare, Reginam cùm ſe abdicavit, annis minorem fuiſſe, quàm craſſa, quàm affectata Juris, factique ignorantia eſt! Nemo etenim vocare poteſt in dubium, quin filii filiæque Hiſpaniarum pro majorennibus habeantur, licet vigeſimum ætatis annum nondum attigerint. Expreſſum iſtud diſertis verbis in formula abdicationis, *Cum autem divino favore majorennem me agnoſcam, & annum vigeſimum exceſſerim.* Perſonæ Regiæ tum minorennes non cenſentur, ubi annos pubertatis attigerint: etiamſi verò Hiſpaniæ Infans ut privata Perſona conſideraretur, quæ legibus & conſuetudinibus privatorum ſucceſſiones ordinantibus deberet parere, veriſſimum tamen eſt, juxta municipales conſuetudines, è quibus Gallia Jus ſuum ſtudet eruere, utriuſque ſexûs liberos anno ætatis vigeſimo majorennes eſſe, & liberè etiam inter vivos, citra aſſenſum Regis, Curatoris authoritatem, de feudis ſuis poſſe diſponere: licet autem minorennis fuiſſet, oporteret aut ſuâ abdicantis inconſultâ facilitate, aut alterius partis malâ fide enormiter læſam fuiſſe, *L. ſcio ff. in Int. reſt.* Quæ autem hic læſio, quæ fraudi obnoxia facilitas? quæ fides mala? Denique prodeſſe non poteſt minor ætas, ubi quod actum eſt confirmavit Jusjurandum. Conſtat inſuper ſi illâ ætate vel in Regna, vel in Provincias, quas ad eam ſpectare contenditur, ſucceſſiſſet, nec Tutoribus, nec Vicariis Adminiſtratoribus illi opus futurum fuiſſe. Supponit quippè hæc Lex, & nobilioris naturæ vigore, & diligentiori educatione in Principum animis, præcoces velut repræſentari prudentiæ fructus, quos in aliis non niſi longior temporis mora excoquat, perducatque ad maturitatem.

Auth. Sacramento Pauperum cod. ſi adverſus vend.

Quod ſi Jus Civile antè præfixum legibus tempus, eos minorennium numero per Privilegium eximat, qui ſingulari induſtriâ, cùm ſuis, tùm alienis Negotiis gerendis idoneos ſeſe probarunt, quantò æquiùs illos quos leges publicæ, ſine limitatione ad plenam Regnorum Gubernationem admittunt, liberâ de ſuis tranſigendi facultate gaudere: quamvis etiam ad illam conſuetudinem quæ privatos antè vigeſimum annum

ma-

majorennes non agnoſcit, minimè attendatur; eam jam ætatem attigerat Hiſpaniæ Princeps, quâ ſine tutore regnare poſſet, ergò beneficio reſtitutionis in integrum quoque exciderat. Illationem hanc roborat, receptiſſimum inter Gallos Juriſperitos axioma, Filias Matrimonio habitas,omnis Actûs Juridici capaces eſſe. *Du Moulin ad Conſuetudines Bleſenſes, Articulo* 161.

Atroci nec ferendâ calumniâ, defuncti Regis denigratur fama, dum Filiam Principem exhæredaſſe falsò arguitur. Quid enim ille, niſi tantum aſſenſus eſt, ratamque habuit liberam Filiæ abdicationem, quâ hæc ſpontaneâ electione Hiſpanicæ Coronæ incertam dimiſit ſpem, ut Gallicam prenſaret. Regium Teſtamentum Actûs hujus, quem legitimum credit, confirmatio eſt, eiſdem fundamentis quibus ſtabilita Pax nititur. Si juſta fuit Renunciatio, juſta quoque ſit oportet ultimæ voluntatis diſpoſitio, quæ illam conſequitur. Futiles proindè ac vanæ illæ exclamationes, in quas Libellorum Scriptores toties erumpunt, non niſi deſultoriæ digreſſiones ſunt, inanis & ad faciendum popello fucum corruptæ eloquentiæ. Idem ſenſatus quiſque feret Judicium de hyperbolicis Illationibus, quæ indè deducuntur, ad eam quæ naſcituris Nepotibus irrogetur injuriam exaggerandam. Si res in ſe æqua, ſi recepta ac approbata in Matre, poſteris iniqua eſſe qui poſſit? in quos omne Jus ab unâ illâ traducitur. Si privatis conceditur decernere Fideicommiſſa in favorem eorum, qui collaterali lineâ remotiori neceſſitudinis gradu attingunt, ad excluſionem Filiarum, ſobolisque ex his naſcituræ: ſi Lex Salica & illas,& ſtirpem earum omnem, in perpetuum ab hæreditario poteſt Regno excludere, cujus demùm Injuſtitiæ accuſari Hiſpania poteſt, ſi hanc exegit abdicationem, ne externo Imperio Monarchia ſua ſubjectetur. Lucem nunquam aſpexiſſet Galliæ Delphinus, nunquam in ſpem Paterni Sceptri adoleſceret, niſi Regina ſe abdicaſſet. Si uno capite Franciæ & Hiſpaniæ geſtare Coronas non poteſt, Legi Salicæ imputet, quæ abſorbet, quidquid occupat, cæteraque Regna eò cogit, ut ſecuri-

 tati

tati suæ consulant, & justis præcautionibus & lege naturali. *Quod quisque Juris*, &c.

Reditus quoque qui Reginæ in omnia Jura permittitur, si (quod omen Superi avertant) & viduaretur conjuge,& liberis orbaretur, grande paternæ charitatis æquitatisque Argumentum est, quâ contra omnem eventum felicitati ejus consultum voluit, effecitque ut vel fortunatâ fœcunditate imperaret Galliæ, vel ad sterilitatis solatium in omnia Monarchiæ Hispaniæ Jura, postliminio regredi posset, undè certè ad oculum patet, abdicationi causam non præbuisse Personam, sed unicum illud pugnans cum ratione Statûs impedimentum, quod Patrium erga illam amorem strinxit cohibuitque; ex hoc ipso capite novum abdicationi accedit robur, quod absoluta non sit, sed patentem relinquat viam eò undè abiit redeundi, quoties obex iste insuperabilis medius non occurrerit: longè abest ut illius exoptetur sterilitas, ut posteri Throno arceantur, admittuntur illi, modò istiusmodi sint, qui Thronum hunc alteri non substernant. Janua quâ ipsa, quâ posteri repetere queant dimissa, his verbis recluditur, *Si ex utilitate boni publici, Justis de causis, Rege Patre & Principe Fratre consentiente nuberet*. Ex quibus, unica, vera, ac solida abdicationis patet causa, nempè ut prohibeatur ne unquam Gallia Hispaniam Regnis suis annectere, subjicere legibus possit, non ut Jure suo, aut Regina, aut posteri spolientur, cum in illud admittendi sint, dum obstaculum illud sublatum fuerit, & tamen hoc est contra quod adeò declamant, mel in venenum, beneficium in Injuriam vertunt, satisque vel hinc produnt, non amore Reginæ, sed omnia devorandi aviditate, in ista se consilia impelli.

Instrum. Renunciat. fol. 13.

Jactis his Principiis, indubitatis, certisque, haud difficile fuerit structuram educere altiùs, & validitatem ac firmitudinem abdicationis sequentibus regulis stabilire.

Prima sit. Licitum est Principibus in gratiam hæredis proximi, hæreditario Regno renuntiare, quæ nota omnibus Caroli V. Philippi II. Reginæ Christinæ exempla manifestè istud evincunt,

cunt, etiam in Regnis electitiis, quorum Principibus arctior gubernacula non dimittendi incumbere videtur necessitas, quàm iis qui successione adiere dominatum, eòquod Imperium mutuâ quasi stipulatione illis collatum sit, adeòque quodam veluti debito sponte contracto implicentur.

Nonne vidimus Henricum III. initâ fugâ electivum Regnum abdicantem, non scimus ipsos Gallos violentè adegisse Childericum III. aliosque Reges suos, ut depositâ purpurâ in religiosi claustri latebras sese abderent, & avita Sceptra exteris quoque transscriberent? Licuerit hoc illis per vim, nec licebit Principibus vel ad consecutionem grandioris alicujus boni, vel ex solo quietioris vitæ desiderio, ultrò ac sponte ditionibus sese suis abdicere; Joannes Armeniæ Rex, Regnum Nepoti Leoni cessit, ut Sancti Francisci Institutum amplecteretur. Innumeri ex utroque sexu Principes Regnorum legitimi hæredes, vel amore boni publici, vel desiderio privati otii, vel cupiditate sublimioris virtutis, validè iis renuntiarunt: uti Sancta Brigitta in Suecia, in Hungaria, Germania, Hispania, quos recensere longum sit, complures nec in ipsa Gallia defuêre: Carolomannus, Caroli Martelli Filius primus natu, Fratri Pepino resignavit Dominatum, ut Deo totum se consecraret, quod hi Dynastæ laudabiliter fecere, vel ut devoverent se Numinis obsequio, vel ut libero à tumultuosis curis otio gauderent. Justiori planè titulo facere Hispaniarum Princeps potuit, ut funestissimo extincto bello, desperata propèmodum Pax, duo inter florentissima Regna conciliaretur. Lex fundamentalis quæ successionem illi tribuebat, sic favebat, ut vim non inferret; sic conferebat Jus, ut non imponeret necessitatem, adeoque cum non vetaret, sed faveret, potuit illi renuntiare. Rex Pater sine Ordinum Regni assensu invitam excludere non potuit, aut inidoneam reddere ad successionem, sed potuit ultrò ipsa se abdicare, dum majus indè sibi pollicetur bonum, & publicum, & suum, populis quoque, quibus imperitare aliquando Regina poterat applaudentibus.

Gen. III. Clem. V. Greg. XI.

Secunda. Esto antiquæ Leges obventurarum Successionum

renun-

renuntiationibus quodantenùs repugnarint, at modò abrogatus earum usus est, contrariusque passim ita receptus, ut Galli Jurisconsulti in hoc communi consensione conspirent, affirmentque etiam eum qui successione venturâ cessit, non posse, licet deinde subnascantur liberi, hanc revocare, nec quod dimisit repetere. *Espeisses T. I. pag.* 409. Constitutio Bonifacii Pontificis, quam Libelli Author in hac materiâ producit, idem apertè definit. Usus totam Brabantiam, Hispaniam, reliquas Catholici Regis ditiones ita communiter obtinuit, cumque nec adversarius in eo dissentiat, operam ludam, si alia insuper conquiram Argumenta.

Con. ad cap. quamvis pag. 3. *const. bon.*

Tertia. Jus Devolutionis cùm juxta Brabantiæ Consuetudines, nec successio habeatur, nec proprietas, nec certum vel existens reapse bonum, sed incertum & suspensum ex eventu, validè abdicari potest, atque hoc per totum Ducatum, communi more receptissimum est. Tres hæ Conditiones sunt attinentes Jus Devolutionis deductæ probatæque, prorsùs clarè in eo Tractatu, quem doctè, æquè ac solidè scripsit de eo Argumento Consiliarius Regius Stockmans, ac recentissimè in lucem edidit, & omnes Belgæ Scriptores, qui eandem materiam pertractarunt, in eandem planè Sententiam concedunt.

Quod primum caput spectat, Devolutionem minimè successionem esse, cùm ex locorum consuetudinibus ubi viget Devolutio, tùm ex hujus, illiusque effectis omninò diversis, demonstrari ad oculum potest. Successio non nisi mortem consequitur, devolutio primi Matrimonii dissolutionem, viventi succedi non potest, hoc enim foret vivos Parentes inferre tumulo, & superstitibus adhuc progenitoribus sibi invicem liberi succederent: hoc autem quid foret, nisi rectam successionem in obliquam & lateralem commutare. Hoc si fiat, accidere poterit ut Nepotes successione Avi penitùs excidant, Fratris sui Sorore sibi prælatâ: hoc autem cum per se absurdum sit, ac consuetudini repugnet, rectè concluditur devolutionem, pro successione haberi non posse, nisi tam iniqua, tam aliena ab omni Ju-

Wamesius, Kintschot, Christin. Mean.

L. qui superstitis, ff. de acq. hæred.

re velimus admittere. Consule Stockmans *Cap.* 5. *num.* 2. *de Jure Devolutionis.*

Reperies illic casum propositum quo evenire posset ut Amita primogeniti Fratris sui Filium excluderet, quod omnem successionis ordinem, & primam Brabantinorum feudorum Institutionem everteret, juxta quam masculi è primo Thoro atque ex his primogeniti, etiam ubi Devolutioni locus est, fœmellis semper præferuntur. Quàm stramineum autem quòd Author Libellorum pro causâ suâ terminos aliquos malè conceptos, peiùs applicatos in aliquibus feudalibus Brabantiæ consuetudinibus citat, quibus nomen Successionis Devolutioni commodari videtur, nam adductæ ab eo illæ consuetudines, numquam à Supremis Consiliis receptæ, confirmatæque sunt, quæque exstant impressæ, partem maximam à Vicario feudorum Brabantorum Præfecto, & Practicis aliquot consarcinatæ, qui vim verborum haud satis considerarunt, quare oblatæ Gubernatori cùm fuissent, ut examinatæ ubi essent, Regiæ authoritatis approbatio accederet, hæc planè negata est, quòd verbis parùm aptis forent expressæ. Jam verò in omni casu, quando Jus & consuetudo militant in contrarium, legisque ac moris intentio manifestò agnoscitur, ridiculum est verba substantiæ præhabere; & eò quidem magis, quòd eædem consuetudines, dubiam æquivocationem alibi non semel explicent. Art. XXV. asseritur, *Si feuda à primùm moriente proficiscantur* in proprietatem liberos succedere, quod clarè indicat eos in proprietatem bonorum ejus qui superstes est, minimè succedere, & unum successionem, alterum devolutionem esse. Articulo XXXVII. dicitur successiones feudales numquam ascendere, descendere semper debere, undè si devolutio successio foret, transiret immediatè ad Liberos secundi Thori, quoties qui è primo procreati sunt, sine hærede decederent, cùm tamen ex Articulo XXIII. liqueat eam ad Patrem redire, aut potiùs manere liberam & expeditam vinculo, quo antea implicabatur, veriùs proprietatis illa constabilitio, quàm recuperatio est: aliàs istud quòd perquam absurdum est,

consequeretur, quòd Pater, Filium veluti repræsentans, eidem succederet, teneretur renovare investituram, & denuò homagium præstare, quod numquam observatum est: quamvis approbatæ Lovaniensium consuetudines parùm correctè loquantur, & aliquibus locis Devolutionem cum successione videantur confundere, apparet tamen ex contextu, non nisi certo respectu debere intelligi, & nomen successionis, bonis quæ morte alterutriùs Parentum obvenerint applicandum; devolutionis verò ad bona superstitis referri, cùm ibidem de una & altera tractet Jus consuetudinarium, & in aliis Patrem usufructuarium proprietarium appellet, distinctis insuper Articulis de Successione & Devolutione agant, tamquam materiis, quæ naturâ, causâ, effectis plurimùm discrepent: tam dilucidè tota hæc quæstio à Domino Stockmans deducta est *Cap. 5. de Jur. Devolut.* ut Lectori, cui tantum perlegere ea libuerit plenè putem satisfaciendum.

Ad proprietatem quod attinet, liberi è primo Thoro nullo hujus effectu fruuntur, quamdiù alter conjugum in vivis superest, nec enim aut possessionem aut usumfructum obtinent, nec de his vel testari possunt, nec alienare, nec oppignorare, nihil denique circa illa agere ex iis quæ proprietario licent, & si parentibus præmoriantur, iis omninò excidunt: ut proinde omne illorum Jus, non nisi in quadam securitate consistat bona illa non alienanda, & in spe adeundæ successionis, si Parentibus supervivant. Si proprii jam nunc Domini forent, obligarentur certè à Domino directo, vivente adhuc Patre investituram accipere, quod numquam in usum deductum est. Pater è contrario omnibus proprietatis effectis gaudet, unum si excipias, quod in præjudicium Liberorum primi Thori ea nequeat alienare. Cætera pro Domino agit, possidet, administrat, fructus percipit, nomine suo (si lis circa illa incidat) agit in foro, nec ad faciendum ullum Inventarium, nec ad reddendas rationes obligatur, habet autem omnes actiones reales, quæ proprietati necessariò annexæ, simplici usufructuario de Jure competere non possunt.

ſunt. Alienandi etiam non adeò conſtricta poteſtas eſt, quin ex ſe valida ſit, & ſubſiſtat alienatio, ſi priùs Liberi moriantur, quamquam reſciſſioni ſi ſupervivant, ſubjaceat.

Denique proprietas vi Devolutionis adſcribi liberis non poteſt, ex ullo Juris titulo quo dominium ſolet acquiri, non ſucceſſione uti jam demonſtravi, cum hujus nullum effectum iſta communicet, Pater autem nullo alienandi modo à legibus præſcripto rerum ſuarum dominium amiſerit: nec enim eripere hoc illi uxoris mors poteſt, ſed ſolus liberæ voluntatis actus, quales ſunt donatio, venditio, ceſſio, delictum, undè conficitur non niſi per abuſum proprietatis nomine inſigniri poſſe, quod nec in cauſa, nec in effectis quidquam habet commune, neque conſuetudo citra injuſtitiam, bonorum proprietate Patrem ſuo abſque conſenſu plenè nudare antè mortem poſſit: quæ omnia, uti veriſſima ſunt, ita latis in Curiâ ſententiis, conſentienti Doctorum Patriæ, & veterum, & hodiernorum qui materiam illam attigerunt, ſuffragatione conſtabiliuntur.

L. nemo ff. de Reg. Jur.

Ex dictis hactenùs facilè eſt inferre, eum qui Devolutioni renuntiat, propriis ſeſe bonis minimè exſpoliare, nec cedere ſucceſſione acquiſitâ, ſed tantùm dimittere ſpem aliquam, cujus tam dubius eventus, quàm mortis hora incerta eſt, tantùm abdicare ſucceſſionem, quâ an fruiturus aliquando ſit, ex futuris caſibus pendeat, quòd & permiſſum legibus, & circa ipſa bona devoluta, ubicumque Devolutioni locus, uſu receptum eſt.

Quod ſi ergò potuit legitimè renuntiare, ex præciſâ obligatione debuiſſe contendo, cùm eò & publica duorum Regnorum utilitas, & privatum commodum, & debita paternæ indulgentiæ beneficiis gratitudo compelleret.

Ipſa non uno loco in inſtrumento abdicationis profitetur, rationes quæ ad hanc induxerint, eſſe *Gratitudinem quâ ob innumera beneficia Regi parenti obſtringitur*, *Bonum ac conſervationem Auguſtæ Familiæ*, *ſalutis quetiſque publicæ amorem*: Quare perſuadeo ipſe mihi, minùs ægrè illi feciſſe, ſpontaneam Juris abdicationem quàm hodiè faciat illorum aviditas, qui in-

vitam in ea quæ dimisit pugnant restituere; eò quippe se videt perductam, ut aut Fratris aut Mariti lugere debeat damna, spectare vel opprimi Augustam Familiam, vel solium suum concuti, adeò ut utram in partem inclinet victoria, vel gloriæ funesta futura sit, vel amori.

Contra has tam evidentes veritates varia objicit scriptor, sed falsis Juris factique suppositionibus malè innixa, unicum ex connubialibus pactis citat Articulum, nec nisi hujus partem producit, ut indè totum formet Argumentum, de actu Renuntiationis consultò nullam faciens mentionem. Duæ autem rationes quibus vehementiùs instat, hæ sunt.

„ Spectare ad essentiam Renuntiationis ut filia dotata sit, con„ stare illud Hispanis expressum legibus, quòd si pater minùs filiæ „ suæ assignet, quàm legitima exigat, renuntiationem nullam „ esse, insuper necessariò ex paternis bonis dotem constituendam. Geminum hinc instruit Argumentum, primum est, Principem minimè dotatam fuisse, eò quòd Rex ex bonis maternis, undecies centena aureorum millia filiæ deberet, nec tamen nisi quingenta millia in dotem addixerit, obligaveritque, ut quod illi debebatur condonaret.

Alterum est, quingenta aureorum millia præfixo tempore soluta non esse, cùm autem uti assumit, dos promissa, nec soluta, dos vera non sit, infert ex hoc defectu, abdicationem nullius valoris esse.

Duæ hæ propositiones, quas congestis inutiliter Authorum citationibus conatur stabilire, facto non insunt, cujus præcipuas circumstantias artificiosè omittit, nec primarium tangit caput quæstionis, undè licet quæ assumit illi demus, nihil indè quod magnoperè nobis officiat poterit concludere.

Primum, & substantiâ & terminis legum valdè abutitur, dum contendit probare Dotem promissam nec solutam, pro vera Dote haberi non debere, nam hic in omnes Jurisperitos incurrit, apud quos indubitatum, Dotem simul ac promittitur veram esse, cum promittentem ad hujus præstationem obliget.

Et

Et qui habet actionem ad rem, rem ipsam habere dicitur, quando debitor est solvendo, quæstionem hanc clarè decisam legere est apud Tiraquel. simul Textus, & Juris Authores quos allegat. *in Tract. de retract. Conu. 7. 8. ad fin. tit. Gloss. 2. num. 32. & seq.*

Aberrat secundò, dum abdicationem habendam asserit pro actu privato, qui legibus civilibus dirigendus sit: jam superiùs abundè ostendi actum esse publicum, membrum Pacis essentiale, & obligationem, quæ pro causa leges statûs fundamentales, pro fine conservationem habeat. Ampliùs nunc addo, Legem Sanctionemque esse pragmaticam, communi inter duas Coronas consensione, ex voto publico utriusque gentis constitutam, & particularibus omnibus legibus derogantem, prout patet ex instrumento abdicationis, in quo, ubi agitur de conventione, inter Regis ad Tractatum connubialem initâ, hæc leguntur verba: *Et quod in Articulis V. & VI.* dicti Tractatûs, Decretum Statutumque, *mutuâ* (duorum scilicet Regum) *assensione, eâdem voluntate, ut prorsùs conducibile post maturum examen, &c. ut ego & liberi, quos nobis Deus ex hoc Matrimonio concedet, sint & maneant inhabiles, & incapaces, exclusique penitùs ab omni jure & spe succedendi in ullum nostrum Regnum, Statum, Ditionem, &c.* Et paulò inferiùs hæc subjunguntur, *Consentientes in hoc communi omnium subjectorum desiderio, qui volunt ut obtineat vim ac robur legis & sanctionis pragmaticæ, utque tamquam istiusmodi, & recipiatur & observetur.* Rursùs interjectis paucis lineis & sequenti additur: *Statuetur mutuâ consensione, quam Majestates suæ volunt obtinere robur & authoritatem Legis in favorem utriusque Regni & publici commodi stabilitæ.*

Causæ autem hujus conventionis paulò antè producuntur, *Habitâ ratione ejus quòd publico statui, illorumque conservationi maximè conducit* (de duobus Regnis agitur) *quæ cùm tam ampla sint, ne umquam conjungantur, & occasiones omnes, ex quibus oriri illa conjunctio posset, submoveantur, &c.* Clariùs tertiâ indè paginâ res tota explicatur: *Spectato publico & communi commodo Regnorum, quæ gubernanda illi Deus commisit, quorum uti & Gallico-*

rum æqualiter intereſt, ut potentia & Majeſtas, quam à tot annis obtinent & conſervant, cum tantâ fœlicitate & gloriâ nominis Regum ſuorum Catholicorum & Chriſtianiſſimorum, nec de ſplendore ſuo, nec magnitudine aliquid amittant, prout amitterent, ſi via & cauſa Matrimonii in aliquo liberorum vel deſcendentium unirentur, undè inter ſubjectos animorum offenſiones, aliaque quæ prævideri poſſent mala enaſcerentur. Proſequitur deindè varia commoda, quæ in publicum ex hac conventione profluunt, atque ipſam quaſi quamdam baſim, Paci illius perpetuitati fundandæ locat: *Et ut faciliùs poſt hæc inter Coronas affinitates contrahantur,* quas prætenta Lex Salica iniri prohibebat, & quando initæ forent, periculi plenas reddebat, niſi conſpirante approbatione utriuſque partis modus hic excogitatus fuiſſet, circa quod pluſcula notanda occurrunt.

Primò. Conventionem hanc inter Reges, ad commune Regnorum bonum pactam eſſe, renuntiationem referre ad Articulum V. & VI. Tractatûs Nuptialis cum Rege Chriſtianiſſimo concluſi, ad quem ipſe tamquam primarius contrahens acceſſit, prout conſtat ex narratione dicto actui premiſsâ, liquet idem ex obligatione quam ſibi impoſuit rata omnia habendi, ſi enim abdicationi huic non niſi ut Maritus interveniſſet, & non tamquam proprio nomine ſtipulaturus atque acceptaturus, ratum habere, nec potuiſſet, nec debuiſſet, ſed tantùm authoritatem ſuam interponere, quamvis & ratum habuerit (uti ipſe adverſarius fatetur) & approbatio Tractatûs Pacis ea omnia neceſſariò includat, quæ hic relatione aliqua reſpicit; atqui negare nemo poteſt, quin ambo Reges, ex communi populorum, & conſenſu, & voto, legibus particularibus derogare potuerint, cùm ipſi tamquam legum conditores, quas tulerint queant abrogare, videamuſque frequenter Hiſpanos Galloſque Reges, non derogare tantùm conſtitutionibus ſuis, ſed eas mutare, abolere, idque levioribus longè de cauſis. Quod autem ob ſingulares civiles Juſtitiæ rationes, illis permiſſum, idem dum commune Regnorum bonum exigit, ipſis licere quis abnuat? Hoc

quippè

quippè illis si negatur, quomodo poterunt derogare legibus intentatas actiones, sistere tractatibus publicis cursum civilis Justitiæ, certè nihil horum poterunt, adeòque nec indulgere amnistias, nec jus Fisci reorum meritam castigationem urgentis suspendere, nec privatos ad prædarum utrimque actarum compellere restitutionem, nec dissidentibus inter se partibus indicere silentium, nec quæ justè fuerint addicta fisco, bona redonare, vel denique quidquam eorum tentare, quæ tamen in quolibet Pacis Tractatu, fieri nemo non videt, atque indè mecum agnoscit, ubi necessitas ac necessitas quidem publica exposcit, à supremo quovis Domino posse legibus derogari.

Potuisse probatum est, voluisse ex eodem Instrumento citra probationem patet, mentis intentionem verba aperiunt, *nullâ habitâ ratione dictarum legum, consuetudinum, statutorum, dispositionum, vi quarum, aut successum aliquando fuit, aut succeditur in nominata Regna, &c.* Et paulò pòst *quarum omnibus & singulis, dictæ suæ* Majestates *debebunt derogare in quantum his repugnaverint*, deinde paulò inferiùs, *& intelligatur hujus Tractatûs approbatione* (Majestates nempè suas) *illis derogasse & habere pro derogatis.* Prætereà hæc habet V. Articulus, *cum derogationibus & abrogationibus, omnium qualiumcumque legum, usurpationum, consuetudinum* &c. *Quibus ad hunc effectum Majestates suæ Catholica & Christianissima debent derogare, & ex nunc habebuntur pro derogatis.* Verùm quòd his omnibus validiùs, & ideò consideratiùs, expendendum illud est, in ipsa formula, quâ Rex Christianissimus Tractatum Pacis confirmavit, hanc eamdem derogationem expressis verbis contineri, *derogantes ad hunc finem, uti derogamus omnibus legibus, consuetudinibus, & dispositionibus in contrarium.*

Secundò, Ex propria confessione Authoris, qui Dialogum conscripsit, constat Regem Christianissimum, conventionem hanc confirmasse, ita loquitur, Pagina 30. *Quantùm ad ratihabitionem Regis Christianissimi, Argumentum ex ea aliquod duci posset, nisi alia forent quæ Reginæ abdicationem nullam evincerent,*

rent, secluso defectu interpositæ à Sponso Rege authoritatis. Ecce ut approbationem ipse agnoscat, quamquam eodem loco statim mutet nomen, & nudam appellet Regiæ authoritatis interpositionem, sed ex omnibus Instrumenti hujus clausulis, videre est pactionem esse, cui Rex Christianissimus tamquam partis suæ paciscens præcipuus intervenerit, abdicationem autem Reginæ & originem & naturam ex hac ipsa traxisse pactione, cui voluntate suâ assensit, proindè oportet, admittant adversarii, vel Regem suum carere potestate eâ, quâ in publicis Tractatibus civilibus legibus se possint eximere, nec illarum vim, quantùm stipulationibus illa officit elidere (quod ex diametro Doctorum illius Gentis conspirantem sententiam impugnat, & in sensum communem impingit) vel in eo nobis assentiantur, Regi Christianissimo, Reginæque uxori, non licere actionem ullam vi legum civilium aut municipalium intentare, quas pro abrogatis in hoc casu haberi voluerunt. Aliàs detrahenda omnis Tractatibus fides, nec secura unquam futura Pax, si quæ competunt partibus actiones, nullo modo possunt extingui, & exceptionibus Juris apertum semper ostium relinquitur.

Tertiò, Scriptores Galli ex falso principio procedunt, nempè abdicationem tantùm consideratione & gratiâ dotis factam esse. Clausulæ superiùs adductæ demonstrant ad oculum, hic illos longè à vero aberrare; Ad aliam mensuram tota hæc res rectè ut judices, Jus Successionis impedimentum essentiale erat Matrimonii, uti ex ipso textu abdicationis liquet, Matrimonium unica & necessaria erat ad Pacem via, quod ex ipso Pacis instrumento dudum evici. Unica elidendæ omnis prætentionis ratio, ab abdicatione haberi poterat, ut conveniretur in Matrimonium, submovendum erat antè omnia impedimentum. Hinc colligo abdicationem debuisse præmitti, ut dispositiones inducendæ formæ solent, adeòque minimè à dote dependere, sed causam finesque habere diversos, ac de ea conventum oportuisse, priusquàm vel de Matrimonio, vel dote tractaretur. Universus Instrumenti contextus, declarat dotem in favo-

rem

rem Matrimonii assignatam esse, abdicatio verò commune utriusque bonum spectat, illa amori Parentum ac naturali erga liberos obligationi, hæc commodo publico innititur. Hæc Sanctio pragmatica est, illa minimè. *Statutum est, ut Rex Dominus meus (ratione & causâ Matrimonii, & ut ad illud ex propriis bonis dotem conferrem) promisit se mihi daturum quingenta aureorum millia.* Non dicit in gratiam & vi abdicationis numeranda quingenta aureorum millia, sed causâ Matrimonii, quod supponit impedimentum statûs abdicatione tollendum fuisse: atque ita, causa assignatæ dotis Matrimonium est, finis ut dotem adferret: sed Renuntiationis, & causa, & finis, publicum Regnorum bonum est, ad conservandam utriusque Regis gloriam, amplitudinem, Majestatem, ad evitandas Populorum offensiones, & nascitura hinc damna: ad aperiendam planiorem contrahendis inter utriusque Regis posteros connubiis viam: denique ad disturbandum obicem, quem hisce nuptiis, adeòque & Paci, statûs ratio opponebat. Causæ hæ omnes ex naturâ suâ necessitatis sunt absolutæ, nec mutari possunt, nec alterari, nec facto singulari, quale est dotis solutio, possunt affigi, nec restringentibus conditionibus limitari: è contrario solvendæ dotis obligatio quoad executionem à variis conditionibus pendere potest, & reapse justis ex causis suspendi. In abdicatione Hispaniæ Infans se omnibus utriusque Regni Ordinibus, in assignatione dotis, se Rex Catholicus Regi Christianissimo tamquam futuro Filiæ Sponso obstrinxit: dilata solutio dotis, privatum in materiâ pecuniariâ damnum est, quod facilè compensari potest annumeratis usuris, ad quas leges civiles, eum qui in mora fuerit condemnant, à die promissæ solutionis computandas, quod arguit dilatâ solutione, Contractum hunc non corruere, cùm aliud Jura remedium subministrent. At verò vitium ac invaliditas Renunciationis, damnum trahet post se, quod nec reparari, nec compensari queat. Hinc definiet quisquis æquus est Judex, nec fuisse, nec esse potuisse hanc contrahentium mentem, ut abdicationem solutioni dotis vellent alligatam, & rem adeò

necessariam, à tam fortuitâ & cui mille casus moram possent injicere, dependere. Adde quòd abdicatio, vocibus de præsenti; dotis præstatio, verbis de futuro concepta est. *Et ex nunc acquiesco, tamquam si mihi, plenè satisfactum sit, quoad omnia quæ ad me pertinent, aut poßint pertinere*, de solutione dotis stipulatio est, *hæc addictæ pecuniæ summa, hâc ratione annumerabitur &c.* Jam verò quàm effrons Scriptoris audacia illa est, quâ non veretur affirmare, Hispaniæ Principem coactam à suis post Matrimonium Actis arcanis quæ Gallia nunquam viderit.

Cùm ipsemet fateatur Regem Christianissimum ratam illam habuisse, & Articulo VI. Tractatûs connubialis disertè cautum sit, *Ut Regina subscribat abdicationis instrumento, idque verbis de præsenti antequam nubat*, quod instrumentum mox à celebrato Matrimonio, simul cum Christianissimo Rege ratum habitura & approbatura sit. Sed ita sit, formulam abdicationis Gallia non viderit; an ideò contentarum in ea clausularum ignorantiam potest allegare? Haud quaquam: eodem quippè Articulo Rex Christianissimus, *Ut hæc renuntiatio fiat in formâ efficacißimâ, & convenientißimâ, quæ ad valorem & robur concipi poterit cum clausulis, derogationibus, & abrogationibus, &c.* atque his in eo Articulo jam tum assentitur, *ut tanquam propositæ si forent ex tunc approbat, ex nunc pro tunc vi hujus Tractatûs factæ habeantur.*

Sed Scriptoris versuta subtilitas quidlibet prensat quo lapsantem tam lubricâ in glacie gressum firmet, quæ præcipua ac substantialia sunt, præterit, voculam unam citati Articuli arripit, scilicet *interveniente solutione, &c.* Atque hinc nititur inferre hanc abdicationem non tantùm referri ad solutionem promissæ dotis; sed etiam ad terminos quibus exhibenda sit, Articulo II. præfixos: atqui hoc stare nullatenùs potest, nisi totam Tractatûs naturam commutes & interpreteris, torquendo verba in significationem cum contextu sensuque Articuli planè pugnantem. Nec enim hoc loco dicitur fore ut sub conditione præstandæ solutionis renuntiet, *sed ut promißâ summâ annumeratâ*,

ratâ, cum dote dictâ acquiescere debeat: Quod quid aliud indicat, quàm solutâ dote illi plenè satisfactum fore, certùm namque est illi priùs solutum quàm sit, satisfactum ex hac parte esse non posse: mora autem dilatæ ultra præscriptum tempus solutionis, non aliud illi jus tribuit, quàm hanc ipsam exigendi cum usuris à tempore præstituto accrescentibus (nisi tamen mora causam justam habuerit) nec hæ quidem usuræ regulariter deberentur, sine expressâ stipulatione, nisi foret in favorem dotis, nec hoc ultra extendi potest: quamvis autem verbis prædictis aliqua inesset obscuritas, indubitatum est in interpretatione hujusmodi Tractatuum bonæ fidei solam partium intentionem spectari debere, ac si qui ex verborum ambiguitate subnascantur scrupuli, fini præcipuo hos officere non posse, *L.* 1. *de Legatis*: Atque istud in hoc eventu eò patet manifestiùs, quòd abdicatio verbis positivis, & de præsenti exprimenda fuerit, antequam constituti solutionis termini forent elapsi: proindè ut solutionis præstituto tempore non exhibitæ vitium, Reginam in jura sua posset restituere, necesse fuisset distinctâ istud exprimere clausulâ, quæ in defectum solutionis jus suum Reginæ reservasset; eoque magis id erat necessarium, quòd duo alii exprimantur casus, quibus evenientibus, in omnia quæ abdicaverit regredi possit: quod si partis utriusque mens fuisset ad hunc quoque casum extendere; certè non minùs distinctè, quàm duos alios expressissent, cùm non minoris referret, & faciliùs posset accidere: undè videre licet voculam hanc, *interveniente*, non esse conditionem restringentem, quæque actum Renuntiationis suspendat, ne dicam robur ei possit adimere; nec enim dicitur interveniente solutione illam se abdicaturam, namque ita ad abdicationem, non nisi acceptâ solutione, aut certè sub eâdem tantum conditione faciendam obligata fuisset, sed illud tantùm significatur, fore ut tunc acquiescat, & ratio à dote nullo modo dependens subditur: *eò quod manere ab omnibus exclusa debeat cujuscumque conditionis & naturæ, &c.* Ex quo nihil aliud intelligi potest, quàm ex anteriori conventione inter

L. 1. *ff. de usu cap.*

Reges initâ, & rationes ſtatûs ſuperiùs adductas, debere illam manere excluſam; & ſanè nihil habet ſimile veri, tam amplæ ſucceſſionis ſpem, ob quingenta aureorum millia dimiſſuram fuiſſe, niſi gravioris ponderis in hanc mentem ratio inclinaſſet, atque ut ſolutio dotis, momentum aliquod bilance, cauſam abdicationi attuliſſet: negari non poteſt hanc admodum levem fuiſſe, alias concurriſſe, & graviores, & æquiores; adeoque ad has tamquam præcipuas ad finem tractationi propoſitum conſiderationis oculum reflectendum.

Profectò res eſt indignatione dicam digna, an miſeratione, quæſtionem hanc agitari inter Reges, & fulcro tam anili, ſtabiliri Bellorum cauſas, de quo privatos quoque litem conteſtari puderet. Conſtat in Jure, *Argumento l. 2. Cod. ff. quando liceat ab empt. diſc.* regulariter Contractus non diſſolvi ob vitium non impletæ conſtituto tempore conditionis, niſi ſingularis & expreſſa de eo adjecta ſit clauſula, aliàs Actio, quæ contra eum qui obli-
L. n. ff. de Art. Empt. gationi ſuæ defuit, ex vi Contractûs intentari poteſt, jam extincta ſit, quod conſtat eſſe falſiſſimum. Qui hæreditatem vendidit nec recepit pretium, jure exigere poteſt ſolutionem, &
L. 14. Cod. de reſc. vend. damna ex hujus dilatione emergentia, à venditione tamen reſilire non poteſt: & qui ſolvendi in morâ fuit, propterea Actione emptæ hæreditatis nón excidit, ſed hanc proſequi poteſt modò Contractui, & enatis ex morâ damnis ſatisfaciat: idem de marito
L. 19. ff. de obl. & act. dotem exigente eſto judicium, ut qui ejuſdem cum emptore conditionis ſit. In hoc Juriſconſulti omnes Galli conveniunt, nominatim etiam in ſingulari caſu Renuntiationum dotis gratiâ
L. 1. Cod. quando lic. ab emp. diſc. factarum: affirmant defectu ſolutionis Contractus minimè diſtrahi, hâc nixi regulâ univerſali: quemadmodum ſolus partium conſenſus Contractuum naturam conſtituit, ita ſolo conſenſu poſſe diſſolvi, quod tamen locum non habet niſi ubi res tota in integro eſt.

L. 1. Cod. de dot. caut. non num. Ubi dos annumerata non eſt, Jure à marito repeti non poteſt, quamvis in inſtrumento (quod frequenter accidit) dicatur ſoluta, opponere autem eo caſu maritus poteſt exceptionem pe-

cuniæ

cuniæ non numeratæ, quâ minimè opus haberet, si ob dilatam solutionem nullus Contractus foret. *L. 3. Cod. eod.*

Allegationes quas accumulat, vel rem non attingunt, vel ipsummet oppugnant: quod ex Baldo adducit telum est quo repeti potest ac configi. *Pater dotavit Filiam de bonis uxoris; numquid ista Filia non habebit regressum ad bona Paterna? respondeo quod sic, quia ista non est cum effectu à Patre dotata.* Non asserit non dotatam, sed dotis effectum non percepisse. Regressus autem quem ad patria bona ratione dotis illi aperit, demonstrat dotem verè constitutam, utpotè cujus effectum possit prætendere: verùm hoc abdicationi minimè præjudicat, quin illam corroborat, dum prosequendæ dotis jus relinquit. Nec aliud efficit proxima in Dialogo citatio *Bened. in cap. Rainut. in verb. duas habens uxores.* *Bald. in l. neque mater.*

Leges quas producit, ut evincat dotem quæ soluta non sit, constitutam non esse, cæteræque ab eo citatæ, evidenter patet accipiendas de dotis effectibus, qui marito sunt onerosi: cùm æquum minimè sit, ut onus illi ex ea re accedat, quam nunquam percepit. Si cui libuerit in examinandis legibus pluscullum attentioris operæ ponere, agnoscet in alium sensum trahi non posse: & sanè constitutam oportet dotem, quæ sit debita, & quam maritus jure queat exigere. Quæ enim actio ex eâ re quæ nusquam extitit nasci potest; adducta ab eo lex *traject. ff. de obl. & actio.* Uti de diverso loquitur casu, ita huic absurdè accommodatur: quippe in hac agitur de contractibus quibus ex stipulatione mutuâ adjecta pœna est à delinquente luenda, nec aliud infert quàm reum ad pendendam pœnam teneri, nisi probet non culpâ suâ peccatum esse, stante interim contractu & plenum robur retinente. *L. 1. ff. de dot. L. dotale ff. de fun. dot.* *L. Traject. ff. de obl. & act. pœna (uti assolet) ob operas ejus, qui eam pecuniam peteret in stipulationem erat deducta.*

Verùm quando debitor non suâ, sed creditoris culpâ solutionem distulit, quòd hic ex parte suâ essentiales contractùs conditiones non impleverit, extra disputationem est, moram illi non posse imputari, adeoque nec ad usuras, nec ullius damni reparationem teneri, etiamsi expresse in contractu pœna stipulata foret. *Argum. l. 23. ff. de act. & obl.*

Si rem hanc ad Juris Civilis rigorem vellemus deducere, quàm egregius nobis aperiretur campus, in quem calamus excurreret, atque ex propriis eorum principiis evinceret omnem ſolvendæ dotis dilationem, uni Galliæ imputandam: nam ſi verùm eſt (quod illi aſſerunt, nos fortiter negamus) unicum abdicationis fundamentum dotem eſſe, ſeparari hæc non poſſe, ſed alterum ab altero pendere, clariſſimâ conſecutione deducitur Regem Catholicum, nec potuiſſe, nec debuiſſe doti ſatisfacere, priuſquam abdicationis hujus ſecuritati plenè conſultum eſſet, quæque ad illius robur & perpetuitatem addixiſſet Gallia, præſtitiſſet. Circa quod iſtud oportet nobis aſſentiantur, in contractu Nuptiali Articulo VI. cautum terminis diſertis: *Sereniſſimam Infantem poſt actum abdicationis, priuſquam ad Nuptias tranſeat, alium ejuſdem generis actum unà cum Rege Chriſtianiſſimo facturam, ſimulac Majeſtati ſuæ Matrimonio juncta fuerit: qui in acta Parlamenti Pariſienſis referri, & approbari debebit in ea forma, & cum illis clauſulis quibus ſolet, &c.*

Hoc publicum inſtrumentum non tantum hactenûs non apparuit, ſed omiſſione quoque ſuâ contra nos utuntur, & eâ infirmare abdicationem conantur: queruntur contracto Matrimonio compulſam Reginam clam confirmare ſuam abdicationem ſecreto inſtrumento, quòd Gallia non viderit. Apertiùs ſe prodit *pag.* 32. ubi quam alibi confeſſus ingenuè fuerat Regis ſui approbationem, hiſce verbis in dubium revocat: *Sed poſt omnia cùm Hiſpania curarit ut Infans poſt contractum Matrimonium ſeſe abdicaret ſecretis actis, quæ Hiſpani nunquam auſi ſunt producere, quis ſibi fingere queat Regem Chriſtianiſſimum ea validè confirmaſſe, quæ nunquam viderit, &c.* Quot hic verba, tot commenta: verùm ex ſuo ore revincendi, ex propria confeſſione damnandi ſunt. Rex Chriſtianiſſimus & Regina Contractu connubiali (qui Pacis membrum eſt) obſtringebantur, ut ſtatim conſummato matrimonio, denuò & eâdem formâ, quâ antè factum ſeſe abdicarent, publicumque ejus rei inſtrumentum Pariſienſis Parlamenti tabulis curarent inſeri: ipſemet hoc factum

ctum negat, & Regem non vidiſſe declarat. Contendit dotem ita neceſſariò abdicationi annexam, ut diſtingui nequeant, ipſi huic conditioni neceſſariæ & non ſeparabili adimplendæ, cùm defuerint, tamen abdicationem eſſe nullam pugnant evincere, ob non præſtitam ſuo tempore ſolutionem, quæ exhiberi non poterat, priùſquam ſecuritati abdicationis, ipſi eâ quâ tenebantur ratione caviſſent. Judicet indè æquus Lector utri ſolutionis imputanda dilatio, quæ etiam ſæpiùs oblata eſt, nunc quoque promittitur ſi velint ſtare conditione promiſsâ.

Ad hæc in jure liquet, ſolutionem debiti poſſe differri, imò & deduci, in compenſationem alterius liquidæ prætentionis; atque id quidem actum eſt in duarum Principum Annæ Hiſpaniarum Infantis, atque Eliſabethæ Galliarum dotibus, quarum hæc Philippo IV. illa Ludovico XIII. nuptui traditæ ſunt.

Exploratum eſt per ſextum Articulum Pacis Catholicum Regem, omni jure quod in Alſaciam haberet, ſe exuiſſe, atque hæc quidem juris abdicatio, nititur quadam veluti conditione, ſeu *uno mediante* (ut iiſdem verbis utar) longè magis expreſſo & efficaci, quàm quod in Renuntiatione Reginæ continetur; neque aliò referri quàm ad eum ſenſum poteſt, quem ipſarum vocum ſequentium notio denotat, *Quâ Renuntiatione mediante ſua Chriſtianiſſima Majeſtas in ſeſe recipit repræſentationem trium millium Florenorum quos Dominis Archiducibus Oenipontanis debet.*

Pacis inſtrumentum obligationem hanc complectitur, quod quidem idem eſt, cum Renuntiatione, & connubiali Contractu, quo promiſſa dos eſt: una alteraque pactio eodem prorsùs obligationis vinculo ligant utramque partem: ſi licuit Chriſtianiſſimo Regi ſuâ pactione non ſtare, non violato annullatove Tractatu, ſanè meritò in alium ſenſum dilationem repræſentationis dotis, duriùs interpretari nequit: ex noſtrâ quidem parte cauſa data non eſt, quâ ne debito ſuo ſe exſolveret, fuerit impeditus: neque verò ad rem attinet reſpondere, Regi Catholico Chriſtianiſſimum nihil debuiſſe; intererat quippè Ca-

tholici

tholici Regis istam pecuniam persolvi; ipse enim qui renuntiavit Rex Catholicus est, huic eidem facta sponsio est in ipsâ pactione, adeòque hic idem est, cum quo Christianissimus Rex transegit, obligationemque suscepit repræsentandi pactam summam Serenissimis Archiducibus.

His verò principiis objectis, altera se ipsa corruit, quamvis ultrò concederemus Infantem ex bonis paternis dotatam non fuisse; hoc enim ipso dato, Renuntiatio ne sic quidem vim suam amitteret; quippè solidioribus firmata basibus, quàm quibus nititur ratio dotis, atque ut summum, ne relinqueretur quidem hoc casu aliud ullum Reginæ jus, quàm ut ei liceret legitimam postulare.

Verùm ut omnibus pateat jus nostrum, non unâ sed rationum firmissimarum copiâ quadam redundare, & quoquò se vertant, quamcumque ansam arripiant incassùm, ostendere aggredior totam hanc argumentationem, in qua sibi Author iste temerè placet, falsâ hypothesi niti.

Dotata Regina est, supra usum consuetumque morem erga Serenissimas Infantes observari solitum, uti ex actis renuntiationis liquidè constat, atque his quidem verbis.

Dos est rationi consentanea, exceditque eam omnem, quæ unquam huc usque ulli Infanti Hispaniæ contributa sit, atque hoc habitâ ratione Christianissimi Regis: Neque enim dotes (ut dictum est suprà) æstimantur in Regibus juxta legitimas, sed potiùs usu quodam ac more, quem in regalibus familiis suis Reges instituêre, qui quidem usus, quasi Lex quædam est privata, quæ à contrahentibus, atque his conjuncturis sine controversiâ admittitur: nam nisi hoc in confesso sit, Principes Galliæ Virgines, Regum Filiæ, malè fuerint profectò dotatæ, quingentis millibus aureorum: atqui ratio prima hujus usûs, fixaque est; eò quod Principes, à quibus hæc consuetudo quasi à fonte scaturit, quique legum ipsarum interpretes sunt, animam longè corpori, hoc est vocibus anteferunt; neque adeò in verbis cogitationem defigunt, sed ipsam rationem, primam nempè legum

origi-

originem ſequuntur. Quis ambigit autem quin eò dos inſtituta ſit, ut onera Matrimonii queant à marito ſuſtineri: legitima porrò ut proli conſultum ſit, ne egeat, utque poſt progenitorum obitum liberis ſuppleantur alimenta, quæ dum viverent præſtare tenebantur? An hæc omnia in potentiſſimos Reges ullius hominis Sententiâ cadunt? videlicet excelſo hi loco ſiti ſunt, ad quem egeſtati nullus eſt aditus. Hi multò ſublimiores & firmiores in affinitatibus contrahendis ſibi proponunt fines, quàm leve & ſordidum alicujus pecuniolæ lucrum: hinc fit perrarò ab iis in ſimilibus inter ſe procedatur ad extremas bonorum diſcuſſiones, ad ipſa legitimarum ſupplementa, inventariorum confectiones, omniaque alia juris adminicula in gratiam Privatorum introducta, quæ ſui reſpectu veluti nugas Majeſtate indignas deſpiciunt: Reges ſuprà conditionem ferè mortalium, certè miſeriam, elati divinitùs, ne obtutu quidem ſuo iſta dignantur; acquieſcunt conſuetudini ſui ſimilium Regum, eorumque quibuſcum paciſci ſibi viſum eſt. Meritò infra dignitatem ſuam judicant, licitari pro conjuge, quæ futura ſit Imperii, uti tori conſors, quæ Regum Mater ſperetur fore: neque aliud Reges in Sponſa requirunt, quàm Majeſtatem à Sanguine, virtutem à moribus. Poſtremò uno verbo Chriſtianiſſimus Rex acquievit, Reginæ ſic placuit, hæc omnia ſunt Pacis Tractatu confecta, concluſa, jurata, & in publicas leges relata: nihil eſt quod re actâ ſerò reclametur.

Addo autem duplici ratione à paternis bonis Reginam fuiſſe dotatam. Una eſt, quia quidquid Chriſtianiſſimo Regi Pacis pactione obtigit, id conceſſum Matrimonii gratiâ: cùm enim conjugium coaluerit ſolius Pacis causâ; hæc duo mutuo ſe quaſi obtutu, aut (ut appellant) relatione reſpiciunt, Matrimonium & Pax, inſeparabilique inter ſe vinculo colligata ſunt, unus Tractatus, unica utriuſque cauſa, finis unicus fuit, neutrum ſubduci horum poteſt, niſi Pax, ſubrutâ ejus baſi, convellatur. Rex Pater ac Socer, tot Provincias, tam præſtantis Filiæ amori veluti victimas immolavit, ut fortunæ ejus, quantum

ipſa expetere poterat adjungeret: reſpondit amori Paterno pietas Filiæ, quod jus videbatur poſſe ſibi vendicare, obtulit publico bono, Matrimonii ſui celſitudini, ac majeſtati, & gratitudini, quam munificentiæ Parentis ſui debebat. Mutua Renuntiatio fuit, comitata eſt Renuntiationem Filiæ, ipſius Renuntiatio Patris, illa, juri acquiſito ſibi, hic Ditionibus præclaris ceſſit, ipſi quoque Juri, quod ipſi in Alſatiam proprium erat: non eſt porrò veriſimile futurum fuiſſe, ut tantis Rex ſe ipſum ſpoliaret bonis, ſuapte ſponte, niſi ardenti ſtudio Natæ, ad perfectam fœlicitatem evehendæ, Regium ejus Sponſum beneficiis cumulando, compulſus fuiſſet; & licet hac in re aliquis dubio locus ſupereſſet, præſumptio tamen eſt in Parentis favorem. *L. fin. Cod. dot. prom. Alex. .. In. ad Bart. in d. l. ... in l. 1. ff. ſol. Mat.*

Antequam calculationem ineam cum ſeveris iſtis exactoribus, ſtatuendum eſt, ſpecificationem dotis pactione nuptiali comprehenſæ, normam minimè fuiſſe, nec modum fixiſſe, munificentiæ Regis demortui, neque alia de cauſa iſtis verbis expreſſam fuiſſe, niſi ut conſuetudo ea ſervaretur, quæ ad iſtiusmodi pactiones adhiberi ſolet, eo more, qui in Aulis Regum uſurpari conſuevit: at verò ultra ſe extendit Regia Parentis liberalitas, ſummis ingentibus, quibus æſtimari poſſint monilia, in margaritis, unionibus, gemmis, abacis, auri argentique ſupellectile, & exquiſitiſſimis, quos Europa & America ferebant theſauris, quæ omnia ipſa Sponſa Inſtrumento Renuntiationis ſuæ confirmat: *Tantorum ſcilicet beneficiorum reſpectu, renuntiare ſe bonis maternis; non ſolùm renuntiationis viâ, modoque, ſed donatione inter vivos ratione habitâ gratiarum, ac benignè ſibi factorum, & eò quòd pater ſuus enixè deſideret procuretque quâ poteſt compleri filiæ vota, atque emolumenta, ſignificatione tantâ dulciſſimi amoris, adjuncto reſpectu ad publica commoda*: Hæc ſtipulatio Renuntiatioque verbis conceptis cum Galliæ Rege inita eſt, præliminariter & priùſquam ullâ aliâ de conditione fieret verbum, aut in tractatum iretur; quod quidem liquet quando nihil de Matrimonio tranſigi, nedum confici poterat, niſi

obice

obice ejus ſublato : hinc conficitur ratiocinatione legitimâ, quidquid in dotem ab Rege conſtitutum fuit, de ſuo fuiſſe.

Quoquo verò caſu, ſi ita hic inter Reges, uti inter plebeïos veniendum ad calculos eſſet, deducenda eſſent alimenta, quæ in filiam ab obitu matris fuiſſent impenſa : cùm perſpicuum ſit, eo omni eventu quo materna bona eam ſummam ſuperant, quæ ad dotem aſſignata eſt, teneri patrem ad dotandum de ſuo ; deducere tamen pater poteſt ea alimenta, ad quæ non obſtringitur, quoties bonis potitur propriis filia. Si rationes ſubducerentur hoc dato, in promptu eſſet invenire, multò plus expenſum fuiſſe, quàm fuerat debitum. Rex filii ſui Balthaſaris quoad materna bona factus eſt hæres, Hiſpaniæ legibus ita ſancientibus, ut bona liberorum veniant ad ſuperſtitem patrem.

Ea porrò Lex, quæ parentes prohibet hoc jure uti fruiq́ue, ſi iterùm nuptias ineant jure Canonico reprobata eſt, neque alia huic legi ratio extitit, quàm ut cupiditatem cohiberet multiplicum Nuptiarum, quæ quidem contrahantur libidine, aut avaritiâ, in detrimentum liberorum priori toro natorum.

Atqui nullum vitium in Regis altero conjugio inerat : ſed cogebat eò inevitabilis neceſſitas publici boni, populorum omnium, quâ fuſa ſunt Hiſpaniarum ampliſſima Regna, inflammantiſſimum deſiderium, obligationis Paciſq́ue vinculum, quo obſtringitur ſubditis, ſuæq́ue familiæ Rex ; longè diverſis ab uſu plebeio legibus, adminiſtranda ſua Regibus vita moreſq́ue : & verò, ſi in actionibus publicis eos quis vellet privatorum adſtringere legibus, omnis ratio gubernandi, & publicis utilitatibus proſpiciendi funditùs everteretur. Fieri fortaſſe poſſit ut ipſa in ſeipſis monilia redhibita non ſint, verùm eorum plus ad minimum triplo traditum eſt.

Non eſt iſte plebeius mos Regibus ut apochas exigant, vel in rationes ea jubeant referri, quæ filiabus donant, pleno copiæ (ut ita dicam) cornu fundunt in gremium ipſarum, ſine menſurâ, ſine modo, aſſuevere pactionibus fidei bonæ, aſpernantur ineptias leguleiorum, minimè in ipſorum uſum inventas.

Verùm ut iſta omnia hactenùs dicta, pro nihilo reputentur. An iſtud, per Deum! eſt hujuſmodi, ut Europæ univerſæ turbanda ſit quies; ut Bellum de integro ſuſcitetur, quod tot Chriſtiano orbi miſerias & devaſtationes intulit.

Concedamus ultrò (quod ratione nulla nititur) Sereniſſimam Infantem juri quod à matre ipſi obvenerat renuntiare non potuiſſe: nulla ipſi ad extremum prætentio competeret, quàm ut quoad hoc in integrum reſtitueretur, *utile enim per inutile non vitiatur*, in omnibus quippe contractibus, ea fere regula Juris obtinet, ut ſi quæ pars vitio aliquo laboret, quo reſcindi mereatur; ipſum tamen corpus quoad ſubſtantiam, robur, vigoremque, ac firmitatem retineat.

Hæc quidem juris, ut aiunt, regula eſt, axioma pronuntiatum, in qua nulla cadit exceptio; niſi ubi ea quæ vitium facit pars, ita alteri annexa eſt, & ita invicem coalita, ut una ſine altera ſubſiſtere nequeat, vel niſi paciſcentes ſignatè diſertiſque verbis ambo vel plura inter ſeſe nexuerint voluntate ſua, peculiari clauſulâ ut alterum ſine altero firmum ac ſtabile eſſe noluerint.

At enim in hoc Renunciationis actu, duæ res ſunt diverſi generis, nullo connexionis, aut ſubordinationis vinculo copulatæ: una eſt jus jam hoc tempore acquiſitum, ac præſens; eſt verò altera anceps incertaque ſpes: hæ verò res ambæ diverſo fonte manantes, per diſſimiles quaſi fundos meant, magnum quoque in ipſa ambarum iſtarum rerum æſtimatione diſcrimen: neutra aliam ſubruit, una acceſſoria eſt, principalis altera; illa privati Juris, iſta publici; denique duæ iſtæ res nequeunt inter ſe commiſceri, confundique, niſi ſuſdeque univerſa vertantur.

Bened. in cap. Rayn. in verb. duas habens uxores.

Scitè admodum allegat textus duos in rem maximè noſtram facientes: *non excluditur per Renuntiationem niſi à Succeſſione dotantis; undè ſi de propriis bonis Filia fuerit dotata, non eſt excluſa*, quod intelligendum eſt, ſcilicet à bonis Maternis excluſam non eſſe, quamvis eam iiſdem renuntiare contigerit; excluſionem tamen

men firmam esse, quoad bona dotantis, adversus quem ipsi competit Actio, ut dotem ex propriis bonis repræsentet.

Alter ex Covarruviâ, locus hic est, à quo lucem accipit prior: *erit intelligenda conventio in hunc modum, ut mille aurei sint dandi ex bonis Paternis, non ex Maternis*, undè liquet non id affirmari, Renuntiationem irritam, aut pro nihilo esse; verùm Filiæ dumtaxat regressum patere ad bona paterna, pro dotis solutione: at verò hanc ipsam decisionem Jurisconsultus hic limitat, nisi Renuntiationem Filia jurejurando firmaverit, nisi ex parte Parentis sui intercesserit dolus, vel læsio enormis in Filiæ damnum: demonstratum verò est prolixè manifestèque, neque Reginæ Galliarum damnum intervenisse: dolum autem in Philippo Parente vel suspicari flagitium sit, in Patre supra omnem modum Filiam diligente.

Immensi operis foret particulatim omnes errores facti, inanes & malè concinnatas allegationes, & copiosa sophismata, cavillosque perpetuos, quibus istud opus velut liciis quibusdam pertextum est, sigillatim enumerare: id quidem plus otii flagitat, ac temporis, quàm per istos quos nobis suscitant tumultus tribuitur. Sat superque dictum arbitror iis omnibus, qui sano Judicio utuntur convincendis: sufficiet itaque ad cumulandam adversariorum confusionem hoc unico illos dilemmate constringere, si præter omnem æquitatem, in eo persistunt, ac pedem figunt, revocandas esse quæ cum Regibus ineuntur ab Regibus pactiones, ad formulas subtilitatesque leguleiorum; cur ab eâ quam prescribunt procedendi normâ, in violentâ executione aberrant, si rem in litem trahant, cur statim ad Bellum.

Quis hominum vidit vel audivit legitimam à Parente, aut restitutionem in integrum admoto ad jugulum mucrone deposci, Contractûs nodos ferro rescindi, primamque ad Tribunal citationem quadraginta millium Apparitorum manibus emitti; vel hanc itaque controversiam ad Jus publicum redigamus solemnium Tractatuum inter Reges bonâ fide initorum authoritate dirimendam, vel si ad forenses formulas eam reducere

lubet, quid ab earum receptâ praxi, quæ vim omnem aversatur, ac prohibet, tam iniquè deflectunt, & quod ipsismet Galliæ Regibus, erga proprios subditos exorto cum ipsis litigio, usurpare nefas est: ut quid illud attentare non verentur erga tantum Monarcham, nullâ ipsis ratione obnoxium, & disertè profitentem, se omnium quoad hoc Europæ Principum Judicio stare velle. Sed longè Gallis diversa mens, Arbitrum præter ipsum Martem, nullum cupiunt, nec alio intuitu Themidem, in causæ subsidium ad speciem accersunt, quàm ut eam violentiæ ministram reddant, proprias ipsius leges in ipsammet detorquent, adducitur quidem ut difficultates moveat, ne resolvat cavetur; exordium ipsa solum facit, Arma perorant; & eo ipso quo in arenam manus consertura producitur, vinciunt miseræ brachia, obstruunt ipsi aditus, os comprimunt ne rem definiat, & rerum ordine susdeque veris pro Chimæricâ Actione instituenda, ac palliandâ, publicis pactionibus rejectis. Causam hanc privatis subjiciunt civium legibus, pro exequendâ verò eam ad supremi dominatûs, nullum tribunal agnoscentis, despoticam authoritatem, præcipiti saltu traducunt.

ARTICULUS V.

Successionem supremam in Ducatum Brabantiæ aliasque Provincias in Libellis expressas, non debere dirigi ad normam consuetudinum particularium.

POtestas suprema essentialiter inest Deo tamquam suâ fontis origine, eæ quas hic sub cœlis veneramur rivi sunt qui indè defluunt, illa ex cœlo in terras delabitur, & sese diversimodè in creaturas diffundit, secundùm constitutionem quàm necessariam

ſariam regimini hujus Univerſi; illa ordinariò ſeſe participat primitivè & immediatè Monarchis, Principibus, ac quandoque univerſo Populo, qui eam ad Magiſtratus à ſe delectos voluntariè remittit, redigitque in formam adminiſtrationis, quæ felicitati ſuæ & Reipublicæ ſaluti magis congrua videtur. Nonnullæ ſunt abſolutæ, & neminem ut ſuperiorem niſi Deum agnoſcunt; aliæ ſunt ſupremæ reſpectu ſuorum ſubditorum, ſed cum quâdam reſtrictione, quòd à ſuperiore aliquâ poteſtate dependeant, & quemadmodum illæ ex potentia indefinita immediatè derivant, ſic iſtæ gradatim ſcaturientes per alveum ſummi Principatûs procedunt, cui ſubeſſe ordinantur: ſua hæc eſt regula, ſuaque origo, non aliam habet potentiam neque juriſdictionem quàm eam, quæ ipſi per hos tubos provenit: Cauſa iſtius eſt, quòd cùm ex ſeipſa nulla ſit quàm per voluntatem & inveſtituram illius, qui eam inſtituit, non poſſit exercere plus juris quàm ipſamet recepit. Si ſumma Dominia conſuetudinibus locorum ſubjicerentur, tàm monſtruoſa eſſet rerum confuſio & Chaos, ac ſi Reges Providentiæ Divinæ metas vellent præſcribere, aut cerneremus flumina ad ortûs ſui ſcaturiem reverti: ſublunaris hæc mundi conſtitutio, quæ unicè & ſolis iſtis dependentiæ gradibus de minimo ad majus ſuffulta ſubſiſtit, in totum funditùs corrueret: Famuli vices Dominorum occuparent, Supremi æquivalerent Subditis, & ſummi Principatus hæreditarii ejuſdem eſſent naturæ ac conditionis cum vicis & prædiis ruſticis. Lex æterna, quæ ipſa eſt Dei Providentia, regula atque forma eſt omnium legum: uti enim illa eſt propriè idea legis ſupremorum Principum, ſic iſta ſummi Imperii eſt icon ac protypon privatorum, qui ab ipſa univerſum robur & vigorem deſumunt: ſi æqualis non protendit imperium in ſuum coæqualem, eò magis rationi eſſet diſſentaneum, inferiorem ſubditum habere in illum, quem tamquam Dominum ſuum & Superiorem agnoſcit, quòdque conſuetudines privatæ ſtabilitæ inter ſubditos, ſupremis Principibus præſcriberent ordinem rationis ſuccedendi. Totum quod reperitur juriſdictionis & potentiæ

tentiæ in feudis ſubalternis, excellentiori modo continetur in feudo dominante. Totum verò quod ſervituti, dependentiæ, & ſubjectioni adhæret, nullo modo reſpicit ſupremam poteſtatem, nec ad illam deorſum ſuprà reſilire poteſt, reſtrictiones ſunt limitationeſque quæ procedere nequeunt niſi à potentia ſuperiore; quapropter ſuprema feuda quæ beneficiario jure tenentur à juriſdictione ſuperiori, fines authoritati eorum ſtatutos recipere nequeunt niſi à Domino directo, qui ſeſe tamen conformare debet ſecundùm prolationem imperii, quod in ea obtinet, & ſecundùm primam eorum inſtitutionem, non imponendo illis novà onera, quàm ea de quibus in creatione feudi conventum ſit.

Ut materiam hanc fundamentaliter pertractemus, accuratè examinanda ſunt duo, eaque ſumenda ex vero eorum fundamento.

Primum eſt, natura & primordium Ducatûs Brabantici, aliarumque Provinciarum quas Gallia modò ad ſe pertinere aſſerit: alterum eſt, origo, qualitas, finis & amplitudo conſuetudinis localis, quæ jus devolutionis introduxit.

Quoad primum, extra controverſiam eſt partem unam Ducatûs Brabantiæ, quamquam ex ſe ſuprema ſit, quodammodo agnoſcere Imperium Germanicum, dico quodammodo, quia tam ſuapte naturâ, quàm jure ſuo prærogativarum Ducatus ille à pluribus ſubjectionibus eſt exemptus, quæ cæteris Imperii feudis quamvis ſupremis & dominantibus conveniunt. Duobus ergo modis conſiderandus eſt, uno, ex dependentia quam immediatè retinet ab Imperio, & altero, à ſuprema potentia quam habet in ſubditos: quod primum attinet, ille ſuos dilatare fines longiùs nequit, quàm qui per inveſtituram ei expreſsè præſcripti & limitati ſunt. Idcirco reſtrictiorem legis conditionem non aliundè recipere poteſt, niſi voluntariè ſibi eam imponat: & quoad alterum, ipſius eſt leges ſancire, eaſque ſubditis ſuis imponere ſecundùm lubitum, & ſub juſtis moderaminis habenis coërcere.

Ad

Ad hæc, quamquam Provinciæ illæ ex ſe ſummum habeant dominium, conſiderandæ equidem ſunt, quòd ut illigatæ vinculo inter ſe indiſſolubili, & annexæ Corpori Monarchiæ, ejus partes & membra cenſeantur.

Si conſideratiùs in eas mentem noſtram inflectamus, reperiemus in ſucceſſionibus earum maſculos præferendos eſſe fœminis, illumque ſuccedendi ordinem ab omni ævo tam exactè fuiſſe obſervatum, quòd unico Hiſtoriæ careant exemplo, quo filiæ excluſis maſculis in eâdem ſerie hæreditatem adierint, ut videre licet in Schematis Genealogicis Trophæorum Ducatûs Brabantici, Authore Chriſtophoro Butkens. Dico ampliùs, inſtitutionem primigeniam feudorum privatorum Brabantiæ factam fuiſſe in favorem maſculorum, & quòd Jus Devolutionis poſtmodum inter illos fuerit introductum ob rationes ſpeciales ſeſe ad id moventes, quapropter ſi devolutio eòs vetat abalienare, hoc ſolummodo objectaculum à privatis eſt introductum, quod inter illos clandeſtinè vim legis obtinuit, & cùm non ſit niſi jus quoddam peculiare, haudquaquam Principem, neque ſupremam poteſtatem poteſt adſtringere, tamquam procedens ex ſimplici quodam uſu & aſſenſu ſubditorum, qui in ſuperiorem potentiam nullum habent Imperium, idcircò priuſquam de Jure Succeſſionis feudi dominantis dijudicemus, primam ejus originem, propriamque naturam conſiderare opus erit, ſimulque de cunctis iis, quæ ei ſubſunt.

Si rectiùs perpendamus præcipuum finem hujus uſûs quotidiani, qui maſculos fœmellis in ſucceſſione præfert pariter in feudis privatis, rationem illius inveniemus fieri ob conſervationem illuſtrium Familiarum, ne bona earum tranſeant & confundantur in familiam alterius, in detrimentum eorum qui Stemmatis ſui ſplendorem poſſunt ſuſtinere, nomen conſervare, & in longam ſucceſſorum ſeriem, progeniem dilatare nituntur: quamquam bonum illud ratione aliquâ reluctetur bono ſtatûs, hoc tantùm fit per repercuſſum aliquem indirectum, & per relationem privati ad publicum, ideòque fit quòd derogari poſſit

 reſpe-

reſpectu alterius boni privati, modò æquivaleat aut majoris ſit momenti quàm alterum; ſed conſervatio ſupremarum poteſtatum, eſt bonum quoddam ad Statum directè ſpectans, cui ratio aliqua ſpecialis nullum emolumentum adferre poteſt, aliàs quænam foret in orbe rerum confuſio, ſi cerneremus ſummas potentias ad omne momentum obnoxias dominorum immutationibus, & ſubjectionibus alterius Imperii? Quænam ſubjecta malorum, cauſæ Belli, & publicæ rei converſiones non naſcerentur ex tam extranea & inuſitata conſtitutione, quæ juſtas leges, omnemque bonam perverteret politiam, quàm indignum horrendumque ſpectaculum, & quàm acerbiſſima foret fidelibus ſubditis cordis triſtitia, proprios videre Principes totamque eorum poſteritatem ad miſerias & paupertatis ignominiam redactos, tantiſper Filia ſceptrum obtinet & Principem alienigenam in ſolium extollit: Si æquipararemus hos caſus adverſos cum bono particulari quod à Devolutione reſultat, comperiemus unum tantùm eſſe ſpeciem Atomi reſpectu alterius, & nequidem veriſimile eſt, quòd ipſi populi, dum modò potuiſſent, ſibi adeò fuiſſent adverſati, ſeſe tot tantiſque periculis velle exponi, legitimum Principem ſuis legibus privatis ſubjiciendo, necnon oblectati fuiſſent vitam traducere ſub Dominio quodam dubio, in aërem ſuſpenſo, atque omnibus expoſito ventorum furoribus: è contrà Supremi videntur in uno pejoris eſſe conditionis quàm Privati, eo quòd in pluribus ſtatibus rectè politis nihil poſſint de dominiis ſuis diſtrahere, ſunt quodammodò Servi Reipublicæ, non poſſunt minorem natu filium potioribus Dominii ſui bonis impertiri in detrimentum Primogeniti, & ſunt pro more ità aſtricti ordini ſpeciali ſucceſſionis, quæ maſculos & primogenitos præfert, ut motus propriæ voluntatis aſſequi non valeant in præjudicium iſtius regulæ, quam ſtatûs incolumitas reddit immutabilem: quo ergò modo poterit illa diſſipari ac deſtrui vi conſuetudinis localis, inſtitutæ ad eum finem, qui non eſt comparandus utilitati quæ procedit ex hâc lege publicâ; reverà ſi inſpiciamus continuam ſucceſſionis ſeriem Du-

cum

cum Brabantiæ, Principumque aliarum Ditionum Belgii, semper eas reperiemus transiisse de patre ad filium, quamdiu hoc licuit, & in nullo casûs eventu eas unquam fuisse divisas aut partitas inter plures liberos adinstar bonorum privatorum, quantumvis sæpiùs extiterint plures masculi ejusdem thori, ut videre licet in Godofrido I. dicto Barbato, qui ex Ida Alberti Comitis Namurcensis filiâ suâ primâ uxore duos procreabat filios, Godefridum II. sive juniorem dictum, & Henricum: Godefridus II. filius primogenitus patri solus in Ducatum succedebat, & ex tribus filiis quos habuit, Godefridus III. natu maximus solus successit, genuitque binas proles masculas ex Margareta Limburgensi suâ primâ conthorali, Henricum scilicet & Albertum, quorum primogenitus Henricus in universum successit Ducatum, ut & Henricus dictus Magnanimus, ejus natu maximus, cæterique passim legitimi successores in eâdem serie continuarunt. Hinc duas assumo sequelas, quarum una est quòd feudum supremum sit ex natura sua alicujus divisionis expers, quo patet finem principalem esse, illud debere conservari integrum in gratiam Familiæ, quod inutile foret si transire deberet ad filias primi thori exclusis masculis, quia eo in casu parum interesset illud dividi, imò magis æquum ac consentaneum foret illud in æquales distribui partes, saltem inter liberos ejusdem thori. Altera est, quòd ratione istius indivisionis differat à feudis privatis, quæ secundùm consuetudines feudales, possunt dispertiri trans sylvas ad delectum & optionem primogeniti, & ab hac parte quantumvis unicum tantùm sit feudum, primogenitus acquirit duos trientes, reliquo triente inter fratres æquis portionibus dividendo, excepto Castro, alioque prædio prærogativo quæ Primogenito reservantur, quæ cùm in feudo supremo locum non obtinent, manifesta indè apparet discrepantia, quòd unum non habeat pro objecto quàm bonum privatum Familiarum, alterum verò bonum Statûs, quòd præcipuè operatur ut suprema potestas conservetur in una eademque lineâ, quantùm fieri possit, ne continuis exponatur Statûs revolutio-

 nibus:

nibus: quâ ratione cùm naturâ differat, ulla neutiquam inferenda est ratio de feudo ad jus Regium, neque feudum dominans subjiciendum est legibus seu consuetudinibus locorum, quæ aliam retinent naturam, & ad alios fines sunt institutæ. Hæc diversitas etiamnum magis apparet in eo, quòd feuda servientia quæ Principes possident, alteriùs sint conditionis, aliisque subijciantur legibus, quàm suprema potestas, neque Jus suum beneficiarium ab eâdem jurisdictione acceptant, ut declarat prefatus D. Butkens in probationibus suis anni 1222. Et extra dubium est quòd illa divisionem patiantur, altera verò minimè, ut ex eodem Articulo 21. suprà citato liquidò constat, ipsæque Consuetudines Lovanienses decreto subscriptæ fuerunt cum hâc clausulâ : *Salvo jure & supremâ potestate Regis*. Ex quibus clarè patet, quòd in pacifica perpessione seu approbatione harum legum privatarum Principes nunquam intenderunt summam suam potentiam subactam reddere, neque sequela illa, quæ de uno ab aliud infertur ullius potest esse existimationis inter duas res tam inæquales & inter se discrepantes. In Consuetudinibus Brabantiæ aliarumque Provinciarum, quas Rex approbavit, ordinariè hæc observatur exceptio *salvis nostris Juribus & authoritatibus*. Alia denique hic notanda est differentia, in eo quòd privati queant derogare singulisque diebus derogent Devolutioni in suis Contractibus antenuptialibus, Testamentis vel aliis ultimæ voluntatis elogiis, ad conservandam liberam bonorum suorum dispositionem, impediendumque ne Filiæ ex primo thoro excludant masculos natos ex secundo, qualem agendi modum Principes nunquam exercuere, etiamsi eorum magis intereft hæreditates successionesque in linea masculina conservare, & neutiquam omisissent sibi ipsis præcavere, ut privati, ac contrà hanc consuetudinem providere, si sese eidem ut cæteri, astrictos esse credidissent.

Hoc magis corroboratum recensebitur, si consideremus, quòd volendo has Provincias sub specie talis usûs in partes dividi, eas magis catenâ inseparabili vinctas unierint, Sanctione quâdam

à su-

à supremâ authoritate stabilitâ, & ex communi gentium consensu approbatâ, ità ut illa ab eo tempore sine oblocutione viguerit, & adhuc modò vim legis fundamentalis obtineat. In prosecutione hujus capitis satisfaciam levibus quibusdam scrupulis quos Author Libelli eâ de re in medium profert, abundè mihi est hâc ex parte deducere posse clarum Argumentum, quòd mens Principum, & intentio Populorum rectè fuerit opposita illi subjicere sese legibus, quæ eos ad quodlibet momentum periculis exponerent esse disjunctos & distractos in alias Familias.

Illæ enimverò membra sunt Monarchiæ Hispanicæ, & quamquam propriis sub legibus privatisque moribus regantur, ac prærogativis pacatè fruantur, equidem membra sunt & dependent ab ea ut partes à toto; quapropter etsi non esset usus neque lex decreta pro successione summorum Principatuum, magis æquum & opportunum foret eas dirigere secundùm regulas legesque Regni præcipui, cui sunt annexæ, quàm secundùm consuetudinem localem, quæ non viget nisi inter Subditos, & quamvis idem Author agnoscit, quòd quando nulla lex reperiatur decreta pro successione alicujus dominii supremi, conformandum sit secundùm leges, & statuta vicinorum Statuum: hîc ergo æquiori jure & modo conformandum se erit ordini, & usui aliorum Regnorum, quibus unitæ sunt, & quorum sub adminiculo & protectione foventur.

Hic obiter observanda est contrarietas, quæ occurrit in ratiocinatione hujus Scriptoris, vult omninò hæreditatem supremam harum Provinciarum tali modo esse subjectam consuetudini locali devolutionis, sic ut non possit esse exempta, neque pro bono Statûs, neque per renuntiationem illius cui jus devolutum est, simplicem asserens legem Privatorum pro lege fundamentali Status: ast per easdem ratiocinationes evidenter sequitur, Provincias has non posse, neque debere unquam transire sub imperium seu Dominatum Galliæ, eò quod Lex Salica, vigore cujus universa sua noviter acquisita aiunt esse subjecta eidem regulæ ut cætera antiquitùs dominia, eandem hanc devolu-

volutionem funditùs everteret, quam modo immutabilem esse volunt, excluderetque omninò fœminas ab imperii successione, quamvis solæ hæredes existant: sic ut non aliter intendant hoc jus privatum stabiliri in Provinciis nostris, quàm ut mox idem destruant annectendo has Provincias eorum Imperio. Hoc utuntur ut eas acquirant, & mox idem evertent ut eas in perpetuum sibi conservent, nec extollunt hoc jus in proprium favorem & commodum, quàm ut idem magno nostro damno ac detrimento postmodum annihilent ac destruant; est effectus fraudulentæ eorum astutiæ, quæ tam ingeniosè novit omnes leges adaptare in proprios usus, ut pro instrumentis avidæ eorum ambitioni subserviant.

Restat nunc inspicere naturam & qualitatem hujus consuetudinis localis, certissimum est eam non esse exortam ex primitiva feudorum origine, cum eorum dispositio in favorem masculorum ei directè, & diametraliter opponatur.

Tantò certius est, eam à supremo Principe non procedere, cum ipse pluribus in locis id non approbarit, & quòd eadem hæc approbatio, quam gentes ab illo expostularunt, evidenter designet originem suam aliundè quam ab illo desumpsisse, non etiam dici potest eam fuisse formatam ad ritum & ideam successionis supremæ, quæ ex proprio naturæ motu sincerè masculis favebat, & sese ad fœminas non extendebat, nisi privilegio quodam definito ad solum defectum masculorum. Concludendum ergo est, quod ea citra sensum & clanculùm sese immiserit per usum quemdam introductum ex communi hominum consensu, neque etiam illa est universalis, nec ubique locorum uniformis, in ipsa Brabantia, quamplurimi districtus ab ea omninò sunt exempti, & alii illam receperunt cum variis restrictionibus, Urbs Bruxellensis & Antuerpiensis, cum Ditione Ryensi, ager Turnhoutanus, Hooch-stratanus cum suo districtu, pars Ditionis Trans-Mosanæ, totusque tractus Nivellanus Juri Devolutionis non subjiciuntur, & hoc non aliâ de causâ procedit, quàm ex eâ quòd hanc consuetudinem non acceptaverint, quæ ex sese

talis

talis eſt naturæ, quòd vigorem non obtineat quam in locis ubi communi populorum conſenſu fuerit approbata: quomodo ergo poſſumus ad ſupremam poteſtatem ſine authoritate Principis prolatare uſum aliquem, qui ipſoſmet Subditos non obſtringit, quàm quoad id quòd illum expreſsè efflagitaverint? Quo pacto poſſumus conſtituere legem publicam ac fundamentalem ex conſuetudine quadam non univerſali, neque ſtabilitâ per Principem, & quæ privatis bonorum locorumque circumſtantiis manet intricata: & ſi Authores Dialogi & Tractatûs jurium Reginæ Chriſtianiſſimæ ipſimet confiteantur & agnoſcant *Devolutionem eſſe ſpeciem quamdam pœnæ*, quomodo ſanâ mente concipere poſſumus Principem ſeſe ſubmitti paſſum fore? Et quòd feuda ſervientia ratione propriæ conſuetudinis poſſint imponere ſervitutem quamdam Coronæ: nunquàm in bona Dialectica Argumentum poteſt concludi *de minori ad majus*; niſi hoc fieret in cauſa favoris. *Fol.* 50.

Hæc ergo conſuetudo vim legis non obtinet, eò quòd ex expreſſa Principis diſpoſitione non procedat, ſed ex tacito quodam Subditorum conſenſu, qui ratione iſtius non alium ob finem in ſcopum intenderunt, quàm ut ſuis provideant incommodis: Princeps ſimpliciter eam paſſus eſt, & procul abeſt quòd propriam ſuam ſupremam poteſtatem eidem voluerit reddere adſtrictam, imò nequidem abſolutè, neque generatim in univerſis Dominii ſui partibus eam approbavit, Conſuetudines feudales Brabantiæ tam in feudis exiſtentibus trans ſylvam, quam iis quæ ſunt ad hanc partem, & quæ moventur à Curia feudali Lotharingiæ aut Genapienſi, nunquam approbatæ neque decretæ fuerunt, quantumvis ad eum finem Gubernatori fuerint exhibitæ, & in quibuſdam aliis jam approbatis, Princeps ut antedictum eſt, de induſtria excipit *ſua jura & prærogativas*, ſibique reſervat licentiam *eas variandi, immutandi & innovandi ſecundùm beneplacitum*, quæ facere ipſi non liceret ſine prævio Ordinum conſenſu, ſi foret lex quæpiam fundamentalis, quæ propriam ſuam poteſtatem obſtringeret, & quamquam præſuppoſito aliquo

quo

quo concederemus consuetudinem hanc extendi posse ad summum Imperium, ridiculosum futileque foret insistere, quòd Princeps eam in Familia sua non posset rescindere, cùm potiatur plenissimo jure immutandi & innovandi leges Subditorum.

Sed si iis concedamus similes consuetudines extendi posse ad summa Dominia, justam nobis darent ansam vendicandi Britanniam, Ducatumque Burgundiæ, ubi fœminæ admittuntur ad successionem feudorùm, non solùm per usum & scitum populi, sed expresè etiam per legem Statûs, respectu ipsius supremæ jurisdictionis: quamobrem nihil prodest in medium proferre legem Salicam, quæ penès Eruditiorès dubiæ fidei nulliusque authoritatis est, & quæ ad summum non est amplianda extra limites veterum dominatuum Galliæ, nec immutare potest nisi injustâ quâdam violentiâ naturam Provinciarum quæ Coronæ annectuntur. Verùm si id fiat gratiâ & vigore legis Salicæ, cur nostro non liceret Regi Provinciis ipsi acquisitis idem jus attribuere, quod exercet in Hispania?

Postquam perspicuè rationibus tam claris probatum est, consuetudines locales tam Brabantiæ quàm aliarum Ditionum quas Gallia modò sibi vendicat, non posse esse regulam aut normam supremæ potestatis, restat nunc videre quibus aliis modis legitimis conformari possit decretum, & hoc fieri nequit nisi subsequentibus.

1. Per naturam eorumdem feudorum supremorum, & primariam eorum institutionem.

2. Per consuetudinem ordinariam feudorum supremorum Imperii, à quo aliqua hisce in Provinciis moventur.

3. Per finem in cujus gratiam sunt constituta, & per rationem Statûs, ac interesse Reipublicæ.

4. Per usum vetustum, antiquatum, & in similibus successionibus solitum.

Quoad primum, procul dubio est feudum supremum Brabantiæ in prima sua origine, & per constitutionem Imperatoriam masculis integrè fuisse attributum ad exclusionem totalem fœminarum,

minarum, & quod postmodum concessione & authoritate eorundem Imperatorum illud ampliatum fuerit ad filias deficientibus solùm masculis, uti disertis verbis in Decreto Imperiali continetur.

Sed illa quæ est Imperatoris Caroli V. an. 1549. finem imponit cunctis difficultatibus hac super re movendis, per unionem illam individuam quâ omnes Belgii Provincias est complexus: Hinc est quòd Authores libellorum toto aberrent cælo, omnemque suorum spiculorum aciem obtundant, incassùm nitentes hanc cautem dimovere. Constitutio hæc Imperatoris est, & Principis legitimi hæredis simul; illa est generalis & complectitur omnes Provincias, illa solemnis est ac legitima authoritate & universo omnium Consensu, Magnatum, præcipuorumque Ministrorum chirographo, ac illustrissimæ Nobilitatis confirmata: illa est sancita, eò quòd non tantùm sit recepta, verùm etiam instanter communibus omnium gentium votis expetita, lex est publica, quæ promanat ab authoritate suprema, illa immediatè ad Coronam spectat, & pro utilitate publica est stabilita, ejusque principalis finis est, conservatio & incolumitas omnium harum Ditionum sub uno eodemque Domino: verba textûs clara sunt, *cupiens ante omnia providere bono, quieti, & tranquillitati Ditionum nostrarum Belgii, easque in massa unitas conservare, ne ab invicem unquam separentur, sed perpetuâ conjunctione ab uno semper Principe possideantur*: videte hîc causam publicam, necessariam, & inviolabilem, quæ directè ad Principatus pertinet; sed in contrarium, consuetudo devolutionis est concepta in terminis, qui nemini conveniunt nisi privatis; *Si vir aut mulier, habent liberos, &c.* quòd si Princeps subintelligeretur, illa sese verbis dignioribus, & clarioribus enuclearet, sed cognitio consuetudinis expresè secum adfert se nil complecti nisi feuda, quæ clientelari jure tenentur à Duce Brabantiæ, ac (ut scriptor ipsemet profitetur) illa est facta in favorem primi matrimonii, & in odium secundarum nuptiarum, quæ potius deberent faveri quàm puniri in Personis Principum, præsertim quando non extant hæredes masculi: sed

Const. Phil. Rom. Reg. an. 1204.

progrediamur ulteriùs ad terminos Conclusionis ejusdem Sanctionis: *Statuimus & ordinamus, quòd in omnibus nostris ditionibus repræsentationi detur locus, in eo quod spectat ad successionem Principis vel Principum filiarum capacium succedere.* Integra hæc clausula debet necessariò referri ad primam, nec sustentatur alio fulcimento, *quàm de conservandis his Provinciis in una massa, &c.* & una alteraque devolutionem penitùs excludunt, si eam concipere debeamus sub tali sensu, uti scriptores isti animo intendunt. Insuper patescit evidenter unionem istam provinciarum non posse subsisti cum devolutione, eòquod consuetudo illa non est generatim stabilita in omnibus his Provinciis sub illa unione comprehensis, undè evenire posset quòd filiæ primi thori obtinerent unam partem ratione devolutionis, & masculi nati ex secundo consequerentur aliam vi legis patriæ, & sic per eum modum ordo & finis istius Sanctionis funditùs subverterentur.

Fateor quòd attentè mecum hæc omnia perpendendo, terribili quodam stupore me captum sentiam, videndo Scriptores illos pudore non suffundi de immoderata suorum calamorum licentiâ, quòd in scriptis suis tam manifestis veritatibus & tam generaliter approbatis velint reluctari, & quòd tam perfrictæ sint, frontis ut audeant exponere proprio suo Regi, oculisque totius Europæ ineptas has & erroneas propositiones, *Quòd nihil sit tam contrarium historiæ, nevè desideriis Provinciarum quàm ista Sanctio quæ unit omnes illas Provincias, quòd Imperator quidem in rei veritate id faciendum conceperat, sed inveniebat repugnantiam tam manifestam, & omnium animis gentium tam contrariam, &c. ut citò ab incepto desisteret, &c.*

Dialog. pag. 46.

Nihil veritati magis contrarium & fallaciùs potest concipi, Sanctio illa fuit recepta, reperiturque recensita in omnibus Cameris Rationum Belgii, sed Author hic errorem quempiam concipit aut lectores eo intricatos cupit, qui bonæ suæ fidei adhærere volebunt, confundit aliam mentis sententiam Caroli V. de qua desistebat, cùm Sanctione pragmatica, quam nemine reclamante absolvit. Verùm quidem est Principem hunc intentionem habuisse

buiſſe omnes has Provincias ad unius Regni faſtigium extollere, iiſdem ſub legibus & ſtatu Politico, ſed laborioſas comperiens difficultates, ratione diverſitatis conſuetudinum, prerogativarum, ſigillorum ac menſurarum, minimè ratum habuit, illud executioni extremæ mandare, quantùm autem ad unionem relatam in Sanctione Pragmatica, diverſitas legum non ſeſe extendens ad ſupremum dominium, unionem non prohibebat, cùm in ipſo Regno Gallico, ubi omnes Provinciæ ſunt indiviſim Coronæ unitæ, vivere non deſinunt ſub legibus ſuis privatis, quæ plurimis in locis inter ſe maximè differunt, & quando eas unitas dicimus, non ideo inferimus illas in unam Provinciam eſſe reductas, ſed ſimul conficere unum aggregatum ex pluribus corporibus, quæ diviſionem non patiuntur: ſicut propriè nugari videantur, totamque Europam variis hiſtrionum ludificationibus occupatam detinere, aſſerendo pro contrario, *Regem in qualitatibus ſuis omnes titulos ſeparatim aſſumere*, ac ſi uniendo has Provincias, earumdem titulos amiſiſſet, & minùs foret Comes Hannoniæ, quia eam Ducatui Brabantiæ indiviſim conjunctam reddidit: ſi diviſio poſſet inferri à pluralitate titulorum, manifeſtum eſt quòd licet titulus Regum Chriſtianiſſimorum ſit adeò contractus, concluderemus per eandem rationem partem Navarræ quam poſſident eſſe ſejungendam à Regno Galliæ, cui tamen rei nunquam acquieſcent. Locus quem adfert, non citando authorem, Grotii eſt extra materiam ſecluſus, minimèque ad quæſtionem hanc pertinet, ſed ad conceptum Caroli V. de quo mox præfatus ſum. *Loquitur de mutatione Statûs, de Regimine politico Ditionum*, ſed non de unione ac indiviſione Provinciarum quæ inter ſe ſtabiliri poſſunt ſine aliqua Statûs diminutione, & nihil innovando in legibus privatis, niſi in quantum illæ unioni repugnent.

Ideo eâdem fretus fiduciâ audet dicere, *Sanctionem illam pragmaticam nullam mentionem iſtius unionis in ſe continere.* Quid ergo operaretur prima illa clauſula, quam ſuprà protuli, quæ non ſolùm diſpoſitiva eſt, ſed eſt fundamentum & baſis om-

nium aliarum diſpoſitionum quas eadem lex complectitur? Illa earum eſt cauſa & finis: & non alia datur ratio Imperatorem conſtituiſſe jus Repræſentationis, quàm ut *Provinciæ illæ in una maſſa conſerventur, & perpetuâ conjunctione ab uno ſemper Principe poſſideantur.* Repræſentatio illa, in qua totam rei efficaciam unicè ponit, eſt ſolum effectum & medium quo perveniat ad præcipuum illum finem indiviſionis, quem ſibi in animo conceperat: ſed per ratiocinationem iſtius Authoris, cauſa minus habebit robur quàm ſuum effectum, acceſſorium loco Decreti, & principale pro ſimplici narratione tenebitur.

Veritas hæc corroborata eſt conſtitutione Caroli V. an. 1549. vigore cujus quamquam confirmet ſucceſſionem Filiarum deficientibus maſculis, ſubſtituit equidem pro fundamento Sanctionis: *Nos per pragmaticam Sanctionem ſuper jure ſucceſſionis univerſalis harum Provinciarum inferioris Germaniæ patrimoniali ac hæreditario jure ad nos pertinentium providere velle, quod ſcilicet eædem Provinciæ noſtræ in una maſſa deinceps beneficio repræſentationis generaliter in Succeſſione Principis locum recipientis ſerventur, nec ampliùs unquam ab invicem ſeparentur.* Et ut omnibus innoteſceret hoc gentium votis, & acclamationibus factum eſſe, addit: *Id quod jam anteà à Statibus Geldriæ petitum*, undè duo notanter ſunt inſpicienda, unum quòd beneficium repræſentationis in iſta Sanctione non fuerit intromiſſum, quàm ob rationem finis primarii indiviſionis, alterum quòd quando admiſit filias deficientibus maſculis, voluerit equidem ſervare in illis eandem inſeparationem, & ne poſſent eædem diſpertiri ne quidem inter plures filias, ut conſtat his ſequentibus: *Ne ſcilicet à Ducatu noſtro Brabantiæ, & Comitatu Hollandiæ (in quibus fœminæ ex antiquâ conſuetudine ſuccederent, diſtraherentur*, & in clauſula diſpoſitiva, ubi confirmat ſucceſſionem fœminarum, conceptis verbis adjungit hanc exceptionem: *Non exſtantibus maſculis hæredibus ſuccedere poſsint.* Undè videre licet quòd nullo in modo fœminis ſucceſſio pateat quamdiu hæredes maſculi ſuperſunt.

Nunquam dictis finem imponerem, si particulatim ad omnes eorum cavillas vellem insistere, declaratio quam adfert Philippi II. una est tam malè concepta ut ad commiserationem quemlibet commoveat. Ait quòd in confirmatione quam fecit privilegiorum Brabantiæ, declaraverit *solas illas Ditiones, quæ unirentur in perpetuum Ducatui Brabantiæ, esse Limburgensem, Antvverpiensem, & Trans-Mosanam.* Hic obiter notandum est Limburgum nunquam coadunatum fuisse Brabantiæ, ut observat D. Stockmans fol. 174. sed qualiscumque sit ista conjunctio, essentne hi tam versuti Dialectici ut ex eo vellent inferre, cæteras Provincias indivisim Brabantiæ non esse unitas? Possetne fieri quod speraret parvâ hâc vocis æquivocatione oculos nostros offuscare, quâ confundit & ineptè appropriat voculam unionis: Antwerpia unita fuit, ut inquit, Brabantiæ, tamquam corpori principali, ut iisdem cum ea gaudeat prærogativis & sigillis ac simul eandem sortiatur jurisdictionem Concilii, nunquam intendimus Sanctione Caroli V. cæteras Provincias tali modo fuisse unitas, nec debuisse iisdem gaudere privilegiis. Videte, quæso, quam efficaciam habeat hoc Sophisma. Antuerpia sola ditioque Limburgensis unitæ fuerunt Ducatui Brabantiæ, ut iisdem gauderent privilegiis, ergo Sanctio Caroli V. nunquam intendit, *Quod cæteræ Provinciæ ac ipsa Brabantia in una massa conservarentur, ut perpetuâ conjunctione ab uno semper Principe possideantur.* Antverpia sola, & Limburgum singularibus gaudebunt immunitatibus Brabantiæ, ergo cæteræ Provinciæ sunt disjunctæ à tota unione, & in diversorum Dominatus poterunt transferri. *Philippus Secundus inhibebat Infanti Isabellæ Provincias dividere*, ergò non erant unitæ, è contrà inhibitio illa supponit præviam earum unionem, cum nihil possit dividi, quàm quod unitum existit. Condoleo videre tot alapas impingi misero Aristoteli, universaque ejus præcepta corrui, quæ tam ingeniosè ad rectum rationis usum adinvenit: imò quod plus est, prohibitio Philippi II. est confirmatio quædam Sanctionis Caroli V. Si autem enarratio hujus Scriptoris prævaleret, cuncta mandata

Dei ipſorumque Regum poſſent deſtrui, quando pater mandat filio, ut non fiat homicida, inferri poſſet Deum non prohibuiſſe homicidium: quando Rex exhortatur ſubditos ſuos ad fidelitatis obſequium, poſſet indè deduci conſequens quòd ex officio naturali præſtitoque juramento fidelitatem ſervare non teneantur, quid rationi magis eo diſſentaneum?

Aberrat ſimiliter ſumendo effectum pro cauſa, dum inquit Sanctionem illam non fuiſſe conſtitutam, *quàm ad introducendam repræſentationem in ſucceſſione Principis*, & è contrario conſtat ex ſuprà deductis beneficium repræſentationis non aliter fuiſſe introductum quàm ad firmiùs ſtabiliendam indiviſionem, quòd ipſemet fatetur duabus infrà lineis, terribili quâdam capitis vertigine, dum citat cauſam rationis datæ huic repræſen-
Dialog. pag. 48. tationi: *Ad impediendum ne univerſæ hæ Ditiones, quas defectus Repræſentationis frequentibus nimis revolutionibus exponebat, tam faciliter ob variam conſuetudinum diverſitatem ab invicem poſſent ſeparari:* non ampliùs teſtibus opus eſt, *habemus fatentem Reum*, ex eoque etiam inferendum eſt, jus Devolutionis multò magis eſſe proclivè ad producendum illas Statûs mutationes *nimis fre-*
Pag. 168. *quentes*, quàm defectum Repræſentationis; quandoquidem Sanctio illa ob ſolam hanc rationem illud poſtremum voluerit introducere, credibile non eſt eam voluiſſe ut Princeps alteri ſubjiceretur, cùm eadem ratio majori dimicet valore ad deſtruendam Devolutionem in ſucceſſione ſupremâ, quàm conetur ſtabilire repræſentationem.

Denique quolibet fallente veſtigio labuntur, laboreque Herculeo opus eſſet, ad ſublevandum eos toties quoties naſum terræ cadendo infigunt, videntur non alio ſtudio fuiſſe occupatos quàm ad exaggerandam Argumentorum congeriem, ſine diſcretione aliquâ aut delectu, ad intricandum potiùs quàm ſuadendum, & ad expugnandum id vi pluralitatis, quod præſtantiâ rationum non poſſunt acquirere.

Fol. 168. Author Jurium Reginæ Chriſtianiſſimæ, iiſdem inſiſtit veſtigiis, & in ſuo ſe proprio Labyrintho diſperdit, nec hujus eum pudet

pudet propositionis, *Principem vetustiorem esse consuetudine, nihil ei gloriosius esse posse quàm sese eidem subdere, &c.* cùm certum sit consuetudinem ex privato usu Familiæ Principis eo in casu ortam esse.

Hîc sunt tot errores quot vocabula, pro certo est majorem partem consuetudinum primordium suum sumere à voluntate gentium, earumque utilitate privatâ, ipsæmet sunt quæ sibi ipsis legem constituunt, cujus postmodùm confirmationem expetunt à Principe, qui eandem annuit vel rejicit secundùm beneplacitum: sed in approbando eam non idcirco eâdem sese subigit. Non minùs quoque patet quamplurimas consuetudines populis convenire, quæ Familiis Principum maximè essent obnoxiæ, utpotè illa Devolutionis. Constat etiam *quòd si Princeps est vetustior consuetudine*, etiamnum jus suum, ordinemque successionis suæ rectè formatum antè legis institutionem obtineat, & hæc norma habens vim legis supremæ, non potest unquam immutari constitutione quâdam privatâ & inferiori. Agnoscit in alio loco, *Summos Principatus habere specialia quædam attributa, quæ eos ab aliis bonis distinguunt.* Sed in quo debent Pag. 166. illi magis distingui quàm in eò quòd ad successionem spectat, quæ pluris interest ad subsistentiam supremorum Principatuum, quàm quæpiam alia res? Ipsemet id fatetur in eâdem pagina, dum ait *illos esse independentes*, & equidem illos dependere cupit à consuetudine: *non alienandos*, vult equidem juri cuidam eos subjicere, quod ad quodlibet momentum alienationis causam præberet: *& indivisibiles*, negat equidem Imperatorem Carolum Quintum illos inter se unitos reddere potuisse. Addit insuper nonobstante hâc differentia, *illos habere plures res communes*, concedo, sed quidquid communitatis habent, non id procedit à consuetudine privatâ; similitudo quam adfert in forma probante, est stupenda mirumque in modum adæquata: de homine est, qui simul retinet naturam animalis & rationalem. Ecce meo quidem Judicio quâ ratione intendat hâc super re formare suum Argumentum. Sicuti homo, quamquam superior animantibus, equidem participat aliquid cum eorum natura, & quid-

& quidpiam commune cum illis retinet : à ſimili Princeps, quamvis elatus ſuprà Populos, non ſinit equidem eſſe ſubjectus eorum legibus. Riſum teneatis amici. Sed ad demonſtandum per illud principium ſubjectum eſſe Principem conſuetudinibus locorum, opus foret novâ quâdam doctrinâ morali fundamentum illud erigere, quòd ſenſus debeant tribuere legem rationi, & appetitus ſenſitivus debeat eſſe regula voluntatis, aliàs univerſus hic verborum diſcurſus nullius eſſet probationis, extranea hæc doctrina infremeret omnes Scholas, & nullius eſſet exiſtimationis, niſi penes falſos aſſectatores, & perverſos interpretes Epicuri. Dicamus ergo ut nos meliùs conformemus Doctrinæ magis ſanæ, quòd ſi homo in occaſione quadam ſe debeat extollere ſupra ſenſus, ſeſeque exſolvere ſervitute partis inferioris, hoc maximè fit in actionibus ubi agitur de Succeſſione æternâ, quæ ipſi præcipuus & poſtremus eſt finis, & deſcendendo per hanc regulam de Morali ad Politicam concludendum eſt, nullum eſſe caſum in quo Princeps debeat eſſe magis independens & ſolutus plebis-ſcitis, quàm in ſucceſſione ſupremâ, quæ ſalus & felicitas eſſe debet Reïpublicæ, ac quodammodo perpetuitatem quandam in ejus Familia conſtituere.

Verùm animadverto Philoſophicè diſceptando cum Sophiſtis illis meipſum divagari, & quòd citrà ſenſum à primo meo propoſito longiùs diſcedam, de evertendo ſummatim tantùm eorum axiomata, & non inhærendo tam particulatim eorum ſcriptis: Pertranſeamus igitur ad ſecundam regulam, quâ debent metiri hæreditates ſupremæ, quæ ab imperio moventur, præſertim per conſuetudinem uſitatam in feudis imperialibus.

Nunquam auditum fuit per totum Imperium feudum aliquod ſupremum conſtitui per conſuetudines Locales, aut ſubjectum fore Juri Devolutionis, immò illa maximâ ex parte filias penitùs excludunt, & ad lineas collaterales tranſeunt deficientibus maſculis.

Jam ſuprà conſtat, cauſam finemque præcipuum ſimilium ſucceſſionum eſſe rationem eſſentialem Statûs, quæ abſolutè exigit

exigit pro bono publico gentium, & continuatione illuſtrium Familiarum ſuprema Dominia debere reſervari, quantùm fieri poteſt, in una eademque lineâ, quòdque uſus contrarius continuis rerum revolutionibus Status exponeret: imò finis ille citrà comparationem nobilior eſt, ſublimior ac opportunior altero, qui inter privatos quibuſdam in locis filias primi thori anteponit liberis maſculis ſecundi Matrimonii: Rationes quæ conſuetudinem hanc penes Subditos aliquo modo tolerabilem reddunt, nullatenùs ad Principem, ſummamque poteſtatem ſpectant: Secundæ Nuptiæ quæ Familiis privatis ruinam plerumque adferunt, ſunt ordinariè baſis & fulcrum Stemmatum Principum: id quod alii ultrò faciunt intemperantiâ quâdam venereâ, hi ex neceſſitate abſolutâ compulſi, pro communi Reipublicæ bono, propriæque Familiæ id facere tenentur: Rationes quarum gratiâ conſtituta fuit hæc conſuetudo, nullam habent ſimilitudinis affinitatem cum ſupremo Dominio, undè rectè concluditur conſuetudinem nullum poſſe habere locum in iis caſibus, in quibus omnes cauſæ quarum favore illa introducta eſt, non poſſunt incidi, & ubi omnes utilitates, quæ indè proveniunt ſunt æquiponderatæ gravioribus incommodis.

Reſtat videre quis fuerit uſus antiquus, & ab omni ævo ac ſine interruptione receptus. Authores libellorum poſtquam omnes ſpiritus ingeniique vires contulere in exquirendis undique materiis ad augeſcendum eorum volumen, non unum quidem exemplum adferre potuerunt, quod ad quæſtionem planè pertineret: videamus ſi fortuna nobis erit proſperior. D. Stockmans citat quædam maximè congrua, exemplum videlicet ceſſionis quam Carolus V. fecit Ditionum Belgicarum filio ſuo Philippo ſecundo, vocans defectu ipſius liberos, qui ex ſecundo ſuo conjugio naſcerentur, excluſo Principe Carolo Filio prædicti Philippi ex Maria Luſitana ſuâ primâ conſorte; ad quem nihilominùs ut & patrem ratione viduitatis Caroli & Philippi jus ſuccedendi pertinuiſſet, ſi in ſucceſſione ſupremi Dominii devolutio habuiſſet locum: ſicut etiam donatio quam Philippus ſecundus

Stockm. de Jure Devol. c. 21. nu. 9.

dus fecit Isabellæ filiæ suæ Infanti Hispaniarum sub restrictionibus planè contrariis juri Devolutionis, & quæ non potuere inseri in præjudicium sororis suæ Catharinæ Ducissæ Sabaudiæ, ejusque hæredum : & si devolutioni locus patuisset in summis Imperiis, jus illud quod Regina Christianissima sibi vendicat, esset modò extinctum Jure Ducis Allobrogum, qui verus & legitimus successor existeret. Adfert etiamnùm alia exempla quæ lector videre poterit in eadem libri sectione, sed quia cuncta sunt de Carolo quinto, altiùs hic infrà materiam resumam, ad eò meliùs probandum antiquitatem & continuationem istius usus.

Butk. Trop. Brab. fol. 627. Guilielmus filius Godefridi III. Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ, ex Imania Lossensi secundâ suâ uxore, fraterque Henrici I. filii ejusdem Godefridi procreati ex Margareta Limburgensi suâ primâ conthorali, obtinuit in portionem suam terras Perwesiæ, Ruysbrochii, aliaque Dominia, quod Godefrido erat illicitum facere, si Devolutio habuisset locum, cùm à morte prædictæ Margaretæ Limburgensis, universum jus ad Henricum primum prorsùs esset devolutum, & omnimoda alienatio indicta Parenti in præjudicium Filii primogeniti.

Idem fol. 129. & 130. Idem Godefridus post decessum uxoris, (Devolutionis eodem tempore, si in supremo Dominio locum haberet, necessitate existente) Henricum filium suum primogenitum Ducem Brabantiæ in matrimonium collocavit Mathildi filiæ Mathei Flandrensis, Comitis Boloniæ anno Domini 1179. & in pactis antenuptialibus inserebantur clausulæ omninò contrariæ devolutioni. Nimirùm quòd Godefridus, qui tum temporis erat viduus concedebat filio suo in dotem conjugis, Bruxellas, Vilvordiam, Uccleam & Ruysbrochium, sub conditione, si Henricus ante Mathildim fatis concederet, ipsa durante suæ vitæ curriculo retineret earum usumfructum, sive liberi essent nec ne, & si Mathildis ante Henricum sine liberis è vivis excederet, Comes Boloniæ ejus parens retineret Bruxellas, donec & usque dos ipsi foret refusa. Si locus pateret devolutioni, non erat in potestate patris de terris disponere, earumque partem aliquam concedere

patri

patri præfatæ Mathildis in præjudicium Filii, ſuorumque Natorum hæredum, quibus omne jus fuiſſet devolutum per deceſſum Henrici, vel ad minimum in eodem contractu matrimoniali expreſsè devolutioni renuntiaſſent, cujus tamen facti nulla ibidem acta fuit mentio.

Hic rursùs notandum eſt, in iiſdem pactis nuptialibus Godefridum inſtituere filium ſuum Henricum, *ut ei ſuccedat tamquam hæres in Ducatum, cæteraſque ſuas Poſſeſſiones & Dominia.* *Butk. fol. 130.* Inſtitutio iſta foret vana & ridicula, ſi ſucceſſio ei jam antea, erat delata ipſo jure devolutionis, ſed quod magis notandum, eſt, quòd inſtituat eum *reſervatis Diſtrictu Ortenſi & Comitatu Arſchotano*, excluſis inſuper liberis qui ex eo conjugio naſcerentur, quod omninò evertit devolutionem creditam in ſummis Dominiis, & directè reſiſtit interpretationi quam Authores Libellorum hac ſuper Conſuetudine faciunt, ſi enim Devolutio eſt vera quædam ſucceſſio, liberiſque in vita patris proprietatem attribuit, Godefrido non erat licitum eum inſtituere ad ſuccedendum tamquam hæredem ipſi mortuo, cùm jam ei ſucceſſiſſet, & hæreditatem univerſam ipſo vivente fuiſſet adeptus, multò minùs à ſucceſſione jam natâ & devolutâ ei detrahere duas portiones tam conſiderandas, ut erant Diſtrictus Ortenſis & Comitatus Arſchotanus, ac ſibi reſervare diſpoſitionem in gratiam alterius.

Idem Godefridus laudabat donationem à Gerardo filio ſuo nato ex ſecundis nuptiis factam Abbati Everbodienſi, de quibuſdam terris ſitis in Paroecia Teſſenderloæ, & ipſemet dedit Abbati ſancti Sepulchri Cameraci bona quædam ſita in Terrâ Birbecanâ, pro fundatione unius Præpoſituræ: quod ipſi nullo modo erat licitum facere in præjudicium Principis nati ex primo thoro, ſi devolutio locum obtineret reſpectu Principum, & ſi jus illud eſſet vera quædam ſucceſſio. Præfatæ equidem donationes ſanctæ inviolatæque manſerunt, etiam non interveniente conſenſu Henrici, nec earum tam ex ſuo, quàm ſuorum hæredum nomine aliqua unquam facta fuit repetitio. *Idem fol. 131.*

Eadem Trophæa Brabantica Butkens, alia nobis ejuſdem naturæ exempla ſuppeditabunt, quæ conſequentiis ac illationibus neceſſariis demonſtrant, Principes ſupremoſque eorum Dominatus nunquam huic regulæ privatæ fuiſſe obſtrictos, nec reſpectu eorum Henrici Imperatoris ſententiam praxi locum dediſſe.

Verùm veniamus ad Donationem Belgii factam à Philippo ſecundo, in gratiam & favorem Infantis Iſabellæ, univerſæ ejus circumſtantiæ, omneſque clauſulæ directè opponuntur Juri Devolutionis. Non licuiſſet Philippo II. donare id quod illi non erat proprium, Donatio præſupponit proprietatem donantis, aſſenſus Principis Filii non fuiſſet neceſſarius, neque opus fuiſſet in ſcriptis redigi, ut actum fuit 6. die menſis Maij an. 1598. ſi jus hæreditarium Succeſſionis & proprietatis Infantibus ejus Sororibus integrè fuiſſet devolutum: Donatio illa quæ Devolutioni erat contraria, & in præjudicium tertii, non fuiſſet in tali qualitate recepta ab omnibus Ditionum Ordinibus, ut fuit 21. menſis Auguſti ejuſdem anni; non potuiſſet Philippus eas Provincias deſtinare Filiæ ſuæ in dotem, ut liquet eum feciſſe ex iiſdem Actis, & Archiducem Albertum eas acceptaſſe, eodemque ſub titulo obtinuiſſe.

Ut ſe erroneis iis veſtigiis extricent, ad binas tergiverſationes confugiunt, quæ non ſubſerviunt, quàm ad divulgandam eorum Imbecillitatem: fatentur quidem Philippum Filiæ Infanti donaſſe has Provincias, ſed feciſſe hoc *honoris adipiſcendi causâ, & munificentiâ quâdam imaginariâ.* Hoc Duci Sabaudiæ placere haudquaquam poterat, undè ergò provenit illum ſeſe non oppoſuiſſe *munificentiæ iſti imaginariæ*, quæ revera univerſum jus ſuum evertebat? Quis credat omnes Ordines, univerſaque Provinciarum Concilia approbaſſe Ceſſionem hanc chimæricam, iſtique dolo conniviſſe, ac ſub titulo falſæ cujuſdam donationis pro toto præſtaſſe Juramentum illi, cui hæreditas pro parte tantùm competebat?

Pacta connubialia inita inter Archiducem Albertum & Infantem

tem Isabellam, non solùm eandem confirmant Donationem, verùm etiam evidenter probant unicum finem Sanctionis Pragmaticæ, Imperatoris Caroli V. hic suprà citatæ, fuisse unionem & indivisionem universarum harum Ditionum: illius fidem facit Articulus 12. *Et quantùm*, *&c.* Sub finem, ubi effatur his verbis: *cum onere tamen expresso, ut omnes & quælibet Conditiones suprà citatæ inviolatè observentur, ac religiosè colatur Sanctio Pragmatica facta per Imperatorem felicis æternæque Memoriæ Dominum & Parentem nostrum, cujus anima sempiternâ fruatur gloriâ, in mense Novembri anno* 1549. *pro unione prædictarum Ditionum Belgii, sine ullo unquam consensu, neque alicujus divisionis, illarumque separationis permissione, qualiscumque eventus vel modus sit.* Et paulò inferius eodem in Articulo, Archiducem & Infantem adstringit *ad sustinendos, solvendos & præstandos omnes & quoscumque reditus annuos, pensiones ad vitam, omniaque alia & quælibet dona quæ Nos ac Majores nostri dedimus, aut dederunt, condixerunt, & pacti sunt.* Ubique loquitur ut verus & legitimus hæres, cedit has Provincias unà cum oneribus, quæ illi minimè licebat imponere, si in hujusmodi supremis Dominiis Devolutioni locus dari debebat, multò minus ad ea Infantem adstringere, utpotè cui jus sine ullo onere erat acquisitum. In cunctis aliis Articulis fatur continuò ut Dominus: *Item sub conditione & non aliter.* Quomodo in sanam mentem cadi potest, Ordines approbasse tot clausulas obnoxias Devolutioni, si credidissent eam habere locum respectu suorum Principum.

Ampliùs aliquid dicendum non puto, si eis ob oculos proponam, quòd Henricus Magnus (quem Rex Christianissimus tamquam illustre suum protypon imitandum suscepit) cessionem illam pacto quodam solemni laudaverit, & recognoverit Philippum II. harum Ditionum fuisse hæredem legitimum, liberamque de iis dispositionem sive testamento, abdicatione, aut quolibet alio modo, non obstante suâ viduitate habuisse. Eximius hic Monarcha, nec non sagaces ejus Ministri, naturam, usum, & Devolutionis amplitudinem in Provinciis

Regno Gallico adeò vicinis perfectè & absolutè cognoscebant: si eam credidissent habuisse locum in summis Principatibus, magna curâ & studio cavissent aliquid agere in juris alicujus præjudicium, quod aliquando Francorum Regibus incommodo esse poterat, & Administratores, qui nomine ejus agebant nimis providi, & praxis gnari existebant, ut in Pacis Tractatu clausulam aliquam consuetudinibus contrariam passi fuissent inseri, & quæ aliquando Coronæ Gallicæ posset nocere: ex quibus concluditur, approbationem, quam de illa cessione jam tum temporis à Philippo meditatâ, per anticipationem fecerant, manifestam existere confessionem quòd sentiebant Devolutionis jus nullum in Supremis Dominiis locum obtinere. Ecce quo pacto loquantur in Articulo sexto Tractatus Verbinensis, *etiam conventum & pactum fuit, ut si præfatus Dominus Rex Catholicus Testamento, donatione, abdicatione, aut quovis alio titulo cujuscumque modi Serenissimæ Infanti Isabellæ Filiæ suæ primogenitæ, vel aliis cedat aut transferat universas Ditiones inferioris Germaniæ, unà cum Burgundiæ & Ambarrorum Comitatibus, omnes illæ Ditiones & Comitatus præsenti hoc Tractatu complexi censeantur.* Eodem in Articulo non solùm agnoscit Philippum Regem eas posse cedere Primogenitæ: sed eò magis quòd de illis possit disponere in favorem alterius, his verbis: *Prædicta Domina Infans, aut ille in cujus gratiam præfatus Dominus Rex Catholicus de iis disposuisset, &c.* Hîc necesse est, ut istorum Authores Libellorum stupidæ imprudentiæ arcessant non solùm unum ex maximis Regibus qui unquam penes illos imperitavit, verùm etiam in agendo promptissimos Administros, quibus Gallia unquam viguit, nominatim Dominos Bellieurium & Sillerium, aut fateri debent omne id, quod ab ipsis contra Cessionem illam fuit allegatum, non posse subsisti nisi in præoccupata eorum imaginatione, & non incepisse eos Juris illius meminisci, nisi postquam Ditiones Belgicas armis obtinere sibi prædestinarunt.

Sed Ordines Ducatûs (ut intendunt Authores Libellorum) con-

contestati sunt Donationem illam non posse adferre minimum præjudicium suis juribus, legibus & prærogativis. In paucis hisce verbis duo manifesta sunt falsa, primum est, quod invenietur nunquam, neque in Annalibus, neque in Chartophylaciis aliqua Ordinum protestatio contra illam Donationem, imò ipsissimi textus quos citat, explicatè demonstrant illos eam acceptasse tamquam Cessionem, *Scriptò Ordinibus caveat duodecimum cessionis Articulum Belgicarum Provinciarum libertati, & Privilegiis nihil derogatum aut detrimento fore.* Istud minimè sumi potest pro protestatione contrà illud Actum, sed pro nuda quadam conditione conservandi eorum Privilegia, sub cujus gratiâ illi Cessionem hanc acceptabant, & eodem designabant titulo, quod omninò agere omisissent, si ipsis fuisset intentio excipiendi Jus Devolutionis, quod destructum fuisset per vocem illam Cessionis, & consequenter acceptatio fuisset contraria & obnoxia exceptioni.

Alterum est, quòd in istâ eâdem declaratione nulla facta sit mentio consuetudinum, ut scriptor addit ex propria sua authoritate & industriâ, jure quodam prærogativo, quo similes in scribendo Authores præscriptione jam pluribus à sæculis usurpatâ utuntur, omnia impunè & licentiosè posse effari. Nihil dicitur in eo loco quem citat, quàm *de libertatibus & immunitatibus*, & paulò pòst *de observandis Patriæ Privilegiis*, at ipsemet profitetur Jus Devolutionis, *esse speciem quamdam pœnæ introductæ in odium secundarum nuptiarum.* Non igitur verisimile est eos sub nomine Privilegiorum & Immunitatum suarum voluisse complecti restrictionem quamdam onerosam, quæ eos infrenat, & adversùs quam singulos in dies ipsimet præcautiones meditantur, & dispositionibus suis testamentariis quærunt remedia: illa Ordinum exceptio de conservandis suis Privilegiis & immunitatibus non fuit mota ut sese opponerent, aut reluctarentur Cessioni, quam liberè & incoactè approbarunt, sed ut impedimento sint ne per Cessionem illam, peioris fierent conditionis quàm erant sub Philippo II. & non ulteriùs se extende-

de-

debat, quàm ad obstringendum Cessionarium iisdem conditionibus & legibus quibus fuerat Cedens.

Pag. 206. Author jurium Reginæ, plus æquo sibi tribuens eò magis audaciæ effertur in eodem argumento, ut falsò citet Emanuelem Meteranum in Historia sua Belgica, ac Chronicographum istum modis suis aptè loquentem faciat, enarrationi ejus purum addit figmentum, omninò contrarium connexioni ac sensu suæ Historiæ. *Brabantini* (inquit) *eo modo metuebant, ne penes omnes crederetur Infantem Isabellam, ad quam Ducatus ille pertinebat Jure Devolutionis, non fore existimatam eundem recepisse in gratiam istius Donationis, eò quod nulla ibidem facta erat mentio alicujus Juris.* Consequenter falsò huic proœmio applicat id quod Meteranus refert de Contestatione illâ quam Ordines faciebant, quòd Donatio ista non poterat nocere, nec obesse aut detrimentum aliquod afferre eorum Juribus ac Privilegiis, in quo rursùs maligno animo propria verba Contestationis invertit, quæ non agit de *Juribus Ducatûs*, uti refert solitâ suâ ingenuitate, sed de propriis eorum juribus & prærogativis, *de Observandis Patriæ Privilegiis*, ut notat expresse textus ipse quem aliundè citavit. Sed ad centrum rei veniamus, non reperietur quidquam in Historia Meterani, quod directè vel indirectè evincere poterit, Ordines Brabantiæ quoad minimum mentem intendisse ad Jus Devolutionis, nec recusasse unquam donationem in tali qualitate acceptare, è contrà illam susceperunt sub eodem titulo, uti etiam consensu Principis Philippi, quæ erat obnoxia Juri Devolutionis, & quòd repugnantia illa, quam Historicus iste quamplures ait demonstrasse in hac occasione subnitebatur aliis rationibus, videlicet quòd *mirum videretur Filiam natu maximam nubere Principi plurimis Beneficiis Ecclesiasticis impertito, eumque Fratribus suis primogenitis præferri, qualis erat Imperator.* Quæ omnia refert tamquam narrationes sermonesque populares, stylo ordinario Historicorum, nec omisisset de Devolutione verba facere, si illa solummodò inter simplices plebis discursus fuisset computata, Ordines ipsi Provinciæ (ut inquit idem Author)

thor) numquam Devolutionem inter causas quas allegabant repugnantiæ mutationis domini miscuerunt, sed è contra produxerunt quæ Devolutionem potiùs everterent. Unica ipsorum ratio erat, *eo quòd tot annorum spatio vixerant sub justo ac æquo Imperio tam probi Regis, & tot tantorumque beneficiorum memores, existimabant impossibile fore se posse deflectere ab ejus obsequio, absque continuo remorsu conscientiæ.* Ex quibus apparet eos agnovisse illum tamquam verum & legitimum hæredem, aliàs quem remorsum conscientiæ habuissent Ordines transeundo ad hæredem legitimam jure successionis devolutæ; cujus, secundùm opinionem Jurisconsultorum Gallorum Rex pater ejus nudum tantùm retinuit usumfructum, quo se exuere potuit, nullo eorum factum hoc improbare valente, dum communiter & usitatè à parentibus observetur in pactis nuptialibus liberorum, iis concedere possessionem bonorum ipsis acquisitorum. Consecutio rem evidentiorem reddit: sese equidem submittebant voluntati Regis, non obstantibus considerationibus quas in contrarium sustinebant, & rationem istius proferebant, nempe *quod Rex iis daturus esset filiam suam charissimam, de cujus probitate & virtutum excellentiis toties effari perceperant, insuperque ei adjungeret maritum, &c.* assentiunt illi respectu, & ex mera consideratione probitatum & virtutum Principis, & eximiarum qualitatum mariti, in ipso eodemque tempore quo agnoscunt *Regem ipsis dare illam tanquam Principem.* Recensent eam priùs non fuisse, & si Rex est qui eam ipsis tribuit, non devolutioni gratia referenda est quæ illam ad Solium evexit. Ideòque fit quòd in consensu, quem ad id præstiterunt, aiunt hoc fecisse *ad conformandum se voluntati Regis, & hoc ipso quo sua Majestas hoc illis mandet*, quod nunquam protulissent, si Infantem ut legitimam eorum Principem & Dominam Jure quodam jam devoluto acquisitam reputassent. Assensus iste clarè exprimit esse respectu & ratione dotis ac donationis quòd Infantem pro Dominâ recipiant, uti patet ex scriptis ejusdem historici, ipsiquemet expostulent approbationem Principis fratris sui, in qua omnibus no-

O tificat

tificat, *eum inductum fuisse certis quibusdam eximiis rationibus, & respectu salutis & boni publici, & eo fine ut Soror sua secundùm suam qualitatum & meritorum præstantiam foret optimè dotata*, ei etiam attribuit titulum *Donationis*, quæ omnia ita contrariantur juri Devolutionis, ut non satis admirari possim Scriptoris illius caliginem, hanc rem ita extra propositum suscepisse.

Verùm licet ex nimia concessione assentiremur cunctis iis quæ in medium proferunt, non aliam indè possent sibi assumere consequentiam, præterquam dicant Ordines acceptando illam Cessionem, intendisse se debere manere in pristinis suis juribus & formis Regiminis, & hoc non subintelligitur nisi de Juribus quæ ad ipsos spectant, non quòd ex eo voluerint unquam attingere jura Principis, nec supremam ejus potestatem legibus suis subjicere, quandoquidem reipsa talis voluntas iniqua & ridicula existeret, ac quæ ad proprium eorum inclinaret incommodum.

Transeamus ulteriùs ad cessionem & alienationem perpetuò factam in favorem Ordinum confæderati Belgii à Philippo IV. partis unius Ducatûs Brabantici, & quarumdam aliarum Ditionum: hæc cessio deberet esse nulla secundùm omnes Regulas & Axiomata Authorum, non solùm respectu Ditionum in quibus Devolutio locum obtinet, sed reliquarum omnium: Quoad primas, liquet casum Devolutionis jam anteà obvenisse in favorem Principis Balthasaris, & eo deficiente in gratiam Reginæ Christianissimæ, quando illæ alienabantur: si jus illud sit hæreditas quædam delata & certa, si sit proprietas quædam, cui nunquam liberè validèque potest renuntiari, Ordinum Confœderatorum Belgii res agitur, aut Ditiones illas bonâ gratiâ restituere, aut possessiones suas armis tueri: jam prolata est sententia, Rex Christianissimus *non desiderio quodam propagandi Imperii, sed ex debita obligatione sui muneris & conscientiæ* ad eam compulsus est necessitatem se erga illos justo severiùs adhibere, uti erga nos, abdicare se non potest juribus vxoriis non sine prævaricatione debiti sui obsequii, aut noxâ neglecti muneris.

Quoad alias Ditiones, si verum est, ut aiunt, quòd summa

Dominia non poſſint alienari, & Principes non poſſint renunciare ſuis juribus in præjudicium ſucceſſorum, nequidem per pacta publica; quòd Jura ſunt ſanguinis, inſeparabiliter cohærentia toti proſapiæ, quòd poſſint perſequi reſtitutionem in integrum, præſertim in pactionibus pacis causâ læſionis. Si denique nulla conſideratio utilitatis & fidei publicæ tricarum regulas poteſt evincere, ſic Tractatus Monaſterienſis confectus cum Provinciis Confœderatis Belgii, eiſdem ſubjacet incommodis, ut Tractatus initus in montibus Pyrenes.

Reſtat nunc ſeorſim nonnullas objectationes diluere, de quibus nondum niſi breviter & ſtrictim egi, quamquam illæ per principia quæ ſtatui, ſatis ſuperque deſtructæ maneant.

In primis opponunt nobis ſententiam Henrici Imperatoris pronuntiatam anno 1230. prælaudatus Conſiliarius Stockmans eidem quam luculenter reſpondet in capite XXI. ſui Tractatûs de Jure Devolutionis, cui adjungam ſolummodo, ſententiam illam quodammodo non poſſe referri ad Jus Devolutionis, ob rationes ſequentes.

Prima ratio eſt, integrum Argumentum ſuper quod deciſionem Imperatoris firmare nititur, eſſe merè fictum ab ipſo Scriptore, eò quod neque ſententia illa, neque Hiſtoria nullam omninò mentionem faciunt, imò adverſatur ipſi textui ſententiæ, quæ non loquitur de proprietate, ſed ſolùm inhibet bonorum alienationem, quæ ex ſe Duci non erat licita ſine prævio Ordinum conſenſu, & illud quod addit in ſententia, *Matrem habuerit, & illa ſit mortua*, liquidò demonſtrat, illam non debere intelligi de ſummo Dominio, ſed de quibuſdam bonis patrimonialibus Principis, quæ doti matris prædefunctæ poterant eſſe affecta, nam ſi ſententia illa fuiſſet firmata reſpectu Devolutionis, mentionem ejuſdem expreſsè facere non omiſiſſet, uti adfert aliam quamdam rationem, quin etiam ut jam antè memoravi Devolutio omninò non impedit aut annullat alienationem, ſed eam ſolùm ſubjectam reddit reſciſſioni poſt deceſſum patris, manens interim valida ſi filius antè patrem moriatur.

2. Sententia ista foret iniqua, & contraria ipsi consuetudini, si stabiliretur super devolutione, eò quòd jus illud non tribuat liberis horribilem illam licentiam arripiendi statim bona patris viventis, pro parva quadam distractione, sed præbet tantùm illis spem possidendi ea post mortem, & jus procurandi restitutionem ac repetendi vindicationem rei alienatæ in vita patris. Hoc esset approbare injustam quamdam violentiam, quæ legem naturæ graviùs concuteret: Hoc esset liberos constituere tamquam curatores suorum parentum, eisque dare occasionem illos sceptro & solio privare. Undè necessariò concludi debet quòd sententia Imperatoris debuerit habuisse aliam quamdam rationem, quæ non aliter est existimanda quàm ea ut suprà retuli: Sed reipsa, cùm non fundetur nisi in morte Ducissæ, necessariò oportuit habuisse aliam quamdam rationem quàm devolutionem, eò quòd Argumentum Imperatoris non sequeretur, Ducissa est mortua, ergo maritus non potest alienare, dum certum est, eum non solùm in quibusdam casibus potuisse alienare, verùmetiam Ducissam ipsam potuisse renuntiare isti juri, dispositione inter vivos vel causâ mortis.

3. Si sententia ista spectaret bona supremi Principatûs, nullius foret momenti, dum suapte natura non possunt distrahi sine consensu Ordinum, qui omnium primi alienationi isti sese opposuissent, saltem ni priùs assensum attulissent, & judicassent alienationem eam subnixam bono Reipublicæ, cui rei Imperatori justè impedimentum afferre non licuisset.

4. Sententia illa fuit pronuntiata in favorem Principis masculi, & nullam post se trahit sequelam filias primi thori debere excludere natos ex secundis nuptiis: Hoc revera horrorem incutit, ipsique refragatur rationi, cogitando solummodò casum adesse quo videmus filiam sceptrum adipisci, & in solio elevari excluso suo Fratre Germano, Filiumque supremi Principis, inverso naturæ ordine, parere propriæ Sorori. O portentum inusitatum! Hoc naturæ repugnat, quæ masculis eminentiam elargitur, & ad imperandum per excellentiam sexûs virilis summam

mam attribuit potentiam. Author Dialogi hâc difficultate ſe extricare conatur, reſtringendo generale illud inconveniens facto particulari de quo modò agit, ſed ſtadium declinat, & poſitæ quæſtionis nodum ſubterfugit. Verba ipſius audite: *Rex Catholicus imperabit in propriis Ditionibus, & Regina Chriſtianiſſima in ſuis, ſic ut unus in alteriùs Imperio ne minimam quidem habeat juriſdictionem.* Certè artificium hoc Jocoſum & eleganter excogitatum eſt, nunc ex cauſarum patrono partes politici ſuſcipit, & perſonam ſuam tam expeditè agit, dum in captioſis ſuis artibus ſcopum ſuum non invenit. Rectè ſe habet Philippum IV. reliquiſſe filio ſuo alias Ditiones, nam ſi nudè obtinuiſſet Ducatum Brabantiæ, aut unicum Principatum aliarum Ditionum quas Gallia ſibi aſſerit, & ſi devolutio teneret locum in ſupremis Dominiis, adeſſet caſus, quo Princeps Regis filius cogeretur parere Sorori. Sic quando loquimur de prodigioſa hac enormitate quam conſuetudo illa gigneret, & de calamitatibus quæ indè generaliter exorirentur, rem in ſe purè inſpicimus, & non in periſtaſi præſente, quæ eſt extra controverſiam, & ad quæſtionem minimè pertinet, eò quòd ſi Dux Brabantiæ poſſideat alia Imperia, res planè fortuita eſt reſpectu Ducatûs, illiuſque conſuetudinum. *Fol. 52.*

Totum ergò quod ex hâc ſententia ſumere poſſimus, illud eſt, quòd Imperator inhibuerit Duci in præjudicium filii bona ſua diſtrahere, non indè ideò inferendum eſt aliquid in favorem Devolutionis, cum mille ſint Sententiæ Cæſareæ parilis naturæ pro feudis, ubi jus Devolutionis nunquam viguit.

Secunda objectio eſt deſumpta ex opinione habitâ, ſed malè admotâ quorumdam Doctorum, qui ſuſtinent, quòd quando movetur quæſtio de legibus aut de conſuetudine feudorum, non dominantis, ſed ſervientis feudi leges & mores intueri oporteat.

Perſpicuum eſt hîc omnes loqui de litigiis quæ oriuntur ex feudis ſervientibus, quæ cùm non ſint tam abſoluta neque privilegiata, quàm dominantia, non eodem modo dime-

tiri debent, & illud nobis omninò favet, ut eo major dignoſcatur diſparitas quæ eſt de majori ad minùs: Argumentum interim contrario invertunt modo, & hoc ipſo quo agnoſcant rationem illam conduci ad deſignandam diſſimilitudinem uniùs ad alterum, nec in comparationem ingredi queant, eo ſeſe munire volunt, non ſolùm ad æquiparandum feudum conditioni ſervientis, ſed ad ſubjiciendum id ipſum, & conformandum ſuæ conſuetudini, licet contrarium evidenter appareat ex propriis contextibus quos adducunt, & peſſimâ fide interpretantur, exemplum clarum eſt in auctoritate quam adferunt Molinæ Tractatu ſuo de Majoratibus.

Tractat. jurium Reg. Chriſt. fol. 170.

Variis in modis locum hunc in alienum ſenſum diſtorquent, Dialogiſta ſic eum invertendo avellit, *Corona Hiſpanica cum ſit primus Majoratus Monarchiæ, debet neceſſariò conformare ſe legibus quas conſuetudines Regni introduxerunt pro primogeniis.* Ut cognoſcamus fraudulentum artificium iſtius Argumenti, tantùm opus eſt illud conferre cum ipſo contextu, & videbimus quòd longiùs ſubmittendo ſupremum Dominium conſuetudinibus patriis quoad primogenia, vult in contrarium omnia alia debere dirigi ſecundùm legem Regni, *ab eoque*, de Regno loquitur, *cætera primogenia, tanquam à capite derivari, ſuccedendique rationem accipere*, undè concludit quòd omnis controverſia, quæ movetur ſuper Primogeniis inferioribus, *ſit ſecundùm leges ad Regni ſucceſſionem inſtitutas decidenda.*

Dialog. fol. 40.

Non ſatis admirari poſſum obfuſcatam mentis caliginem iſtius Authoris, qui nobis ſuggerit munimenta quæ ipſum refellunt & improbant, ac præſumit ea poſſe in ſenſum prorsùs alienum invertere. Feudum ſupremum, ſecundùm textum illum, eſt regula omnium aliorum, quonam ergo modo contendit ille conſuetudines privatas aliorum, fore regulam feudi ſupremi? Author

Fol. 171. Tractatùs Jurium Reginæ Chriſtianiſſimæ eodem in ſubſtantia utitur artificio, ſed cum paululùm majore verecundiâ, evincere ſatagit authorum ſcriptis quos ibidem laudat, *Majoratus Hiſpa-*

nia

niæ ad exemplar, & formam Majestatis Regiæ fuisse constitutos, sed inserit ex suo, *Regulas introductas pro successione unius fuisse etiam respectu alterius*, quamquam constet ex integro hoc textu, & sequente desumpto ex Covarruvia, quem allegat, quòd feudum supremum tribuat legem cunctis inferioribus, & ex consequenti eam recipere nequeat ab eorum consuetudinibus; atqui nobis falsò adducit Authores Hispanos, ad redigendum supremos Principatus sub consuetudinibus patriis, videamus an nativi eorum Scriptores Gallici hoc super axiomate concordes conveniant. Ecce quid ait Petrus de Puteo, author celeberrimus & penes illos existimatus in tractatu suo de successione Ducatûs Britannici, quem ad propositi nostri materiam quàm opportunè venire judico. *Si controversia illa disceptaretur inter privatos & externos Regnicolas, videtur Infantem Hispaniæ retinere aliquam Juris speciem ratione & vi consuetudinis, quâ se munire cupit, sed cum jus illud in totum sit publicum & in totum regale, decisum per jura publica Galliæ, & universo mundo notissima, admirari licet, quomodo fas fuerit eis præferre consuetudines locales, quæ non determinant nisi dissensiones privatorum.* Quid luculentius inveniri potest, Consiliarius Stockmans citat Molinæum, aliosque Authores tam Gallos quàm Germanos super eadem materiâ eandem rem confirmantes, in terminis tam claris & verbis disertis, sic ut non minimam dubitandi rationem relinquant: Lector eos citatos videre poterit in capite 21. & si lubet ad fontes recurret.

Du Puy Tract. Jur. Reg. t. 2. in Duc. Brit.

Author Dialogi ubique se admirabilem reddit, sed seipsum in venustate & Ingenii elegantiâ exsuperat, dum ad imitationem Pythagoræ & Ovidii in rerum Metamorphosi, nobis ante oculos apparere facit supremam Dignitatem sub variis abstractionibus Metaphysicis, quæ Jurisconsultis hactenùs erant incognitæ. Illam primò nobis effingit ut Reginam, momento post tamquam simplicem quamdam civem, mox nobis eam in scenam producit ut conjugem, & paulò post ut viduam; hanc morte mulctat, & à morte rursùs ad vitam revocat, illam extollit & illustrat, & mox deprimit ac humiliat, & sub quocumque figuræ simulachro eam

collo-

collocet, novit illam ritè atque jocosè in theatro personam suam agere. Quando nititur causam suam armis persequi, tum suprema est Potestas quæ neminem nisi Deum recognoscit, nec alium admittit Judicem: dum autem variis calumniis eam cupit obruere, tum nuda est quædam hæreditas jure plebeio subjecta: quando de renuntiatione agit, aut de testamento, extollit illam super Reges & rationem Statûs, dum verò Devolutionem in medium adfert, tum durissimam servorum conditionem eam pati jubet: quandocumque etiam ipsi lubet, statuit Principem esse *animam legum*, & dum se potioris conditionis compotem videt, tum Principem eisdem subjicit, & post tot longos anfractus & exantlatos labores reperitur demùm pro certaminis gloriâ contra propriam suam umbram dimicasse, & universus hic inanis verborum discursus non alium ad finem tendit, quàm ad redigendum Successiones supremas ad simplicem feudorum particularium conditionem.

Suprema Dominia nunquam emoriuntur, secundùm omnium Doctorum Gallorum opinionem, eorum jura & prærogativæ perpetuò subsistunt durante interregno: Dominorum immutatio nullam eorum jurisdictionibus eminentiisque vicissitudinem adfert: vana & inanis est illa distinctio ubi de jure Devolutionis agitur, cum illa cuipiam obveniat in ipsa vita patris; idcirco si Devolutio locum obtineat in supremis Imperiis, & si jus illud, ut intendunt, sit vera quædam successio & hæreditas, pater reipsa non amplius supremus dicitur, quia jus superioritatis propriè & radicaliter adhæret proprietati, & non usufructui. Ita ut respectu superioritatis opus foret Principem pro mortuo haberi, ab ipso momento suæ viduitatis. Non amplius dici potest *anima legum*, dum non retinet illud principium vitæ politicæ, dum privatur hæreditate sui Dominii, ac vita ipsius interregnum, & suprema ejus dignitas vacua quædam hæreditas meritò possent appellari: Verùm quid inde sequeretur, Majestas illa sine Domino desineretne esse suprema? quantumvis non valeat sancire novas leges, an ideo pristinis suis & natura-

turalibus privilegiis excideret? redigereturne morte naturali vel civili sui Principis ad normam successionum civilium? aut fieretne ideo sibi ipsi inferior? Si hoc contingeret, sequeretur necessariò solam esse personam Principis quæ eam supremam reddit, ubi è contrario illa sola est quæ illum in supremâ potestate collocet, certissimè omnis illa ratiocinatio quam super hac re facit, tam confusa est & permista, sic ut impossibile sit colligere, quid juris aut commodi indè consequi existimet.

Tertia objectio innititur instrumento Tractatûs Nuptialis Reginæ Christianissimæ, in quo Hispania stipulata est *derogationem formalem & expressam cunctis consuetudinibus contrariis*, undè trahit consequentiam, quòd si consuetudines *bona illa non affectarent*, neutiquam expetiisset *dissolvi vinculo, quod eam non stringeret*: Qui fieri potest homines tanti ingenii ac industriæ, tam temerè scripta sua farcire similibus nugis, nec timere hominum reprehensionem ac Censuram. Derogatio quæ facta est consuetudinibus, est reciproca, tam ex parte Galliæ, quàm Hispaniæ: & si Argumentum quod indè formare nititur, esset alicujus substantiæ & roboris, concluderet contra ipsam Galliam, eamque consuetudinibus Britanniæ, aliarumque Provinciarum subjectam redderet, eodem modo quo Hispaniam subigit legibus Brabantiæ: Sed quis non prævidet derogationem illam non extendi ulteriùs, quàm ad consuetudines quæ Principes supremos possunt vincire, aut quæ per fas nefasque contra illos occasionem darent formandi nova molimina: Experientia nos docet contra spiritus adeò inquietos, & novandi cupidos, non satis posse præcaveri, nec sufficiebat radices exstirpare & ipsas causas malorum, verùm etiam repullulantes cauliculos surculosque exscindere, ac tollere non tantùm causas, sed & pretextus & indicia, quia nempè infectâ radice, infectum esse omne id quod ex ea succrescit, necesse est.

Quamquam cæteræ rationes, quas adferunt ad stabiliendum eorum Jus, respectu aliarum Ditionum, ubi Devolutio est ignota,

ta, ſint penitùs deſtructæ ſolo eo principio quod abundantiſſimè probaſſe crediderim, ſucceſſiones ſupremorum Principatuum non deberi nec poſſe dirigi ſecundùm Conſuetudines patrias: non deſinam verbum unum aut alterum obiter addere ſuper hac materia, expectando donec uſque Juriſconſulti eorumdum locorum, conſuetudinum patriarum magis gnari operam impendant majorem iſtius rei enodationem in publicum afferre.

Tribus adnititur authoritatibus probare Dominium Mechlinienſe eodem Devolutionis jure ad Infantem pertinere. Prima eſt, conſuetudo, quæ introducit, ut ſibi perſuadet, Devolutionem in iſta ditione: jam antè elucidavi id ad Coronam non ſpectare. Secunda eſt, unio quæ facta eſt iſtius Dominii cum Ducatu Brabantiæ per Philippum Audacem, & confirmata per Imperatorem Carolum V. unio iſta illam à Brabantia non dependentem facit, ut effectivè conſtat, eam non eſſe. Tertia eſt, mos ſtabilitus, quo omnia feuda moventia à Ducatu Brabantiæ diriguntur ſecundùm conſuetudinem feudalem ejuſdem Ducatûs. Hic ſibi ipſi contradicit, quandoquidem unico momento poſt cùm Dominium hoc extulerit ad dignitatem ſupremam, illud idem vult clientelari jure teneri à Ducatu Brabantiæ, in quo ſtupidè decipitur, & errat, dum certiſſimum eſt illud nullo modo ab illo moveri: quod modò declaravit individium cum ipſa Brabantia, jam ſubjici cupit conſuetudini feudali, vigore cujus, poſſet alienari ut cætera cuncta feuda privata ab eadem juriſdictione moventia, quæ quotidiè partiuntur, & dividuntur inter hæredes, ut ſupra retuli: Dicamus ergò eſſe ſuprema Dominia unita ſub iiſdem Privilegiis, ſed ab invicem independentia, quæ poſſunt habere, & in effectu habent Conſuetudines diſcrepantes, & ſumma Dominia, uti ſuprà oſtendi, Juri Devolutionis non eſſe obnoxia, ſic Dominium Mechlinienſe neutiquam illi potuit fuiſſe ſubjectum ratione iſtius unionis, quæ nihil propriæ ſuæ Superioritatis illi adimit.

Totum quod allegat de Superiore Geldria, Comitatu Namurcenſi, & Ducatu Limburgenſi, dum non ſubſiſtit quàm

Jure Devolutionis, atque unione factâ cum Brabantia, ſponte ſuâ corruit, deſtructo penitùs jam anteà fundamento: ſed rursùs hîc in aliùm incidit errorem, ſupponens ignorantiâ quâdam, ſive veriſimili, ſive affectatâ, Ditiones Geldriæ ac Limburgi eſſe unitas Brabantiæ, quod nunquam reperietur.

Cætera Jura in Hannoniam, Luxemburgum & Burgundiam ejuſdem ferè ſunt naturæ, & ſtabilita ſub hoc falſo principio, quòd ſumma Dominia debeant dirigi ſecundùm Conſuetudines Patrias, in quo in novam contradictionem relabitur: nam in Tractatu jurium Reginæ ad eum locum quem ſupra citavi, fatetur prærogativas quibus ſuprema feuda aliis ſupereminent, eſſe inalienabiles & individuas, & equidem ſubjiciendo Luxemburgum, & Burgundiam conſuetudini locali, ambas illas Ditiones diviſioni ſubjectas reddit; Burgundiam in tres partes, & Luxemburgum in duas, quo fit ut eò meliùs cognoſcatur diſparitas quæ eſt inter feuda dominantia & ſervientia, ac ſimul eminentia, quam primum habet ſuper omnia alia ſecundùm propriam ſuam confeſſionem; neque ſanâ mente concipi poteſt, quo pacto bina iſta oppoſita conciliare intendat, nempe quòd hæreditas ſuprema ſit ex natura ſua individua, & uno eodemque tempore ſubjecta conſuetudini, quæ eam dividuam redderet: ſed ad rem, in Burgundia, Ducatuque Luxemburgenſi datur facultas Parentibus teſtamentum condere, & res ſuas fideicommiſſo mandare, imò maxima pars feudorum principalium ibidem eſt addicta primogenitis per diſpoſitionem particularium: Si ergo Principem ſubjici velint legibus & conditioni privatorum hominum, ac ſupremam poteſtatem moribus conſuetudinum localium, ſaltem Principi gratiam illam deferre debent adæquando illum in toto propriis ſuis ſubditis, nec ipſi adimere ut agunt, licentiam, quam minimi cives habent, diſponendi de bonis ſuis ſecundùm lubitum, nullâ obligatione obſtricti filiabus ſuis quidquam aliud relinquere exceptâ legitimâ: Sed ipſæmet rationes quas adferunt ad reſcindendam ultimam voluntatem Regis nuper defuncti, manifeſtò indicant excellentiam feudorum ſupre-

Fol. 166.

 morum,

morum, & illa talem in modum inalienabilia declarant, ut Principes ipsi nequidem Jus habeant disponendi secundùm lubitum in detrimentum legis supremæ Statûs, quæ, cum supra Principem existat, plus æquo deprimeretur, si illam consuetudinibus subditorum subjiciamus.

Excussis omnibus Annalibus, & continuâ successionum serie in universis illis supremis Ditionibus à Gallia vendicatis, non reperietur unquam illas fuisse divisas, aut per trientes partitas, quantumvis sæpiùs plures Fratres & Sorores simul extiterint, qui secundum usum privatum habuissent jus petendi possessionum patriarum partitionem, si suprema illa feuda ejusdem fuissent naturæ cum reliquis.

Philippus & Joannes Duces Comitesque Burgundiæ, Maria & Carolus ejus Nepos, Philippus Secundus, Tertius, & Quartus quàm plures reliquerunt liberos, nec ideo Comitatus ille inter istos unquàm divisionem aliquam passus est, quam Author Libelli de privatis ad suprema extendere nititur Dominia: & si rem altiùs velimus excutere, regulam hanc in successionibus suorum Principum semper Sacrosanctam inviolabilemque mansisse comperiemus.

Ex quibus variæ notandæ sunt observationes. 1. Quòd hic succedendi modus fuerit communis, & usitatus in universis illis Provinciis quas Gallia ambit, & ex eo videmus illas semper naturâ suâ fuisse individuas. 2. Quòd Masculi assiduè successerint ad exclusionem Filiarum. 3. Quòd omnes Consuetudines locales quas Authores isti adducunt, nunquam locum obtinuerint in supremis hisce Ditionibus. 4. Quòd Jus Devolutionis in nullo unquam eventu viguerit respectu Principum, alioquin hæredes Catharinæ Ducissæ Sabaudiæ successissent Isabellæ eorum materteræ, & Sorori Germanæ ejusdem Catharinæ, eò quòd illa juri suo non renuntiaverat.

Tract. jur. Reg. pag. 365.

Nihil aliud agere videtur quàm genio suo indulgere in omni ratiocinatione quam facit de Comitatu Hannoniæ, & exemplis prolationibusque quas producit velle apparare vanam memoriæ

moriæ ſuæ oſtentationem in detrimentum ſui judicii. Hîc impertinens eſt diſceptare an Hannonia ſit feudum vel allodium, cùm uno alteroque titulo Jus Reginæ peræquè malè ſtabiliatur, Sententia quam laudat in favorem Jacobæ Comitiſſæ Hanno- niæ contrà Epiſcopum Leodienſem ad propoſitum neutiquam pertinet, dum extra controverſiam eſt, Filias in Comitatum illum ſuccedere poſſe deficientibus Maſculis ejuſdem gradûs. Nodus quæſtionis erat, probare filias primi Matrimonii excludere maſculos ex ſecundo thoro genitos in ſucceſſione illius Comitatûs, cujus tamen nullam facit mentionem, & omne ſermonis ſui reſiduum tantùm verboſa eſt divagatio, & vana quædam digreſſio extra materiam, ac poſtquam fruſtra vires exhauſit in elicienda aliqua ex iſtis fundamentis concluſione, quorum ſtabiliendorum gratiâ tot labores operaſque impendit, veluti alter Cacus in latibulum ſuum conſuetudinis privatæ ſe recipit & profugit, tanquam ad unicum ſuum aſylum.

Verùm hîc eſt, ubi omnem pudorem exuit, dum audet aſſerere, conſuetudinem loci Filias primi thori Maſculis ex ſecundo connubio genitis præferre. Si adiiſſet conſuluiſſetque Juriſconſultos Regionis, rectè eum imbuiſſent de more ſacroſancto penes illos obſervato & ſtabilito eorum Conſuetudinibus, quæ præferentiam attribunt maſculis, nullâ habitâ ratione thori in ſucceſſione feudorum, ipſique oſtendiſſent in Capite 31. Articulo 6. conſuetudinum filias primi Matrimonii manere ſine portione in feudis parentum, & maſculos ex ſecundis nuptiis genitos ea omninò obtinere diſpoſitione conſuetudinis ſecundùm regulam ordinariam: ſi eadem conſuetudo non permiſiſſet parentibus iis remedium afferre diſpoſitione quadam particulari: Ecce propria verba conſuetudinis; *Duo conjugati unicam tantum habentes filiam, poterunt facere vel curare fieri actum juridicum in commodum & uſum illius, de ſuis feudis, allodiis, aliiſque fundis, pro toto vel parte eorum, oppignorando etiam partem unam aut plures ex reditibus hæreditariis*

tariis vel usufructuariis, revocabilibus vel irrevocabilibus, acsi plures haberent liberos, ut, si ex dictis Conjunctis, aliisve connubiis subsequentibus nascantur Filii; dicta Filia foret dotata.

Luce meridianâ clariùs videtur consuetudinis istius finem esse, ut concedatur parentibus remedium adversus morem & usum generalem qui præfert masculos secundarum nuptiarum, ad impediendum ne filiæ partitionis prorsùs expertes manerent, uti eveniret, si parentes dispositionem aliquam in contrarium non facerent: Videmus quoque per eundem textum parentes communiter non habuisse facultatem faciendi illam dispositionem, eamque tantummodo recipere ratione istius consuetudinis, *poterunt facere & curare fieri actum*, ergò non licuisset ipsis hoc minimè agere, si consuetudo illam non tribueret facultatem, aliàs esset superflua & sine effectu.

Articulus septimus ejusdem consuetudinis tam concinnè explicat præcedens, ut si Scriptor adlaborasset eundem pervolvere, non tam inconsultè quæstionem hanc produxisset, quæ omnem ipsi fidem authoritatemque adimat, verba ejus sunt: *Et quantumvis ratione legis, si non adsit dispositio contraria, feuda patrimonialia superstitis ad filium spectant secundi matrimonii, dum unica tantum filia existit ex primo conjugio: relictis equidem feudis illis per dispositionem filiæ,* (uti in Articulo præcedenti) *aut aliis filiabus ejusdem primi connubii, talis dispositio locum obtinebit ad exclusionem filii secundi conjugii*, quod in usu est publico, generali, & nemine reclamante observato in universa illa Provincia.

Quoad Ditionem Namurcensem, quamquam bona privatorum Juri Devolutionis sint subjecta, adeò verum est Superioritatem eo esse exemptam, ut quemadmodum videmus ex ipso contractu venditionis quam Joannes novissimus Comes istius ditionis fecit in gratiam Philippi Boni Ducis Burgundiæ anno 1421. Comitatus ille ab ipso fuerit venditus sub iis conditionibus quæ devolutionem minimè tolerant, idemque fuerit traditus ipsi

Duci

Duci pro se suisque Posteris & Successoribus Comitibus Flandriæ, hâc lege, ut perpetuò & inseparabiliter Comitatui Flandriæ maneret annexus; inseparabilis illa connexio necessariò Devolutionem excludit, eò magis quòd Comitatus Flandricus cui est unitus, nullo modo consuetudinem illam recognoscat.

Quantum ad Artesiam, consuetudo quam citat nullâ authoritate publicâ approbata existit, & dispositio Articuli 27. quam adfert, non extendit se, nisi ad bona sita sub jurisdictione Magistratûs Atrebatensis, uti constat ex Articulis prædictis, & ex textu ejusdem consuetudinis, quòd non solùm potest obtinere vim legis respectu supremi Dominii, verùm nequidem regulæ pro cæteris Provinciæ possessionibus, quæ suas seorsim habet consuetudines generales & approbatas, quarum defectu ad jus scriptum recurrit, tametsi consuetudo illa Atrebatensis liberis jus aliquod in bonis superstitis tribuat, illa equidem in cunctis suis effectibus à Devolutione maximè differt, uti animadvertere poterunt ii, qui curiosiùs eam pervolvere cupient; & ita loco adhæret, ut quamvis mobilia affectet, ea nihilominus vendicare non liceat, quæ sint extra præfatam jurisdictionem, sed per consuetudinem illam generalem & authoritate publicâ approbatam istius Provinciæ nulla est Devolutio, è contra Articulo 139. superstes acquirit medietatem omnium mobilium prædefuncti, & Articulo 134. Maritus habet administrationem omnium bonorum suæ uxoris, & immobilia absque illius consensu potest distrahere, quod omninò devolutioni refragatur. Articulus 176. contra nos reproductus, non spectat ad liberos primi connubii, eò plus quia in Art. 94. primogenitus universa occupat feuda sine destinctione primi vel secundi Matrimonii, & succedit pro parte sua cum liberis prioris & alterius thori.

Textus quos allegat in contrarium deprompti ex articulo 4. cap. 105. & articulo 3. cap. 91. aliique ab Authore illo directè adhibentur contra genuinum sensum, & morem usitatissimum consuetudinis; quippe si Hannoniam tamquam feudum expendamus, indubitatum est masculos secundi matrimonii in feudali

dali succeſſione præferri filiabus prioris Thori, & uſus ille forenſis tam religioſè obſervatur in univerſis Provinciæ illius Tribunalibus, ut directè ſit notiſſimæ veritati obluctari, quæſtionem illam in controverſiam ſolùm admittere: ſequitur proindè conſuetudines quas allegat, non poſſe ſubintelligi reſpectu feudorum, niſi quando ſit concurſus aliquis maſculi cum maſculo, aut filiæ cum filia utriuſque thori, quo caſu filius prioris connubii, obtinet contra filium genitum ex ſecundis nuptiis: & ſimiliter filia primi matrimonii contra filias ſecundi conjugii; ſed quando quæſtio movetur inter maſculum & filiam, res ipſa proculdubio favet maſculo. Si autem Hannoniæ Comitatum è contrario inter allodia referamus, haud dubium eſt parentem poſſe diſponere per actum & ultimam voluntatem, ac denique per ſubſtitutionem, uti conſtat ex Articulo 6. ejuſdem cap. 105. Articulus 9. cap. 94. quem citat, ſolùm facit mentionem feudorum, quæ obveniunt ex ſucceſſione collaterali, neque exinde poteſt fieri illatio ad ipſa allodia, quorum parentes liberam habent diſpoſitionem, & id quod addit ſecundùm eandem conſuetudinem, donationes in linea recta haberi debere pro acquiſitis, eſt omninò falſum, quando donatio eſt facta ſub ſpecie & titulo dotis, & res mehercule portentoſa eſt, quòd Ditionum illarum reverſionem ad perſonam Philippi IV. in numerum conqueſtuum conjugalium velint referre, dum eadem expreſsè in dicta donatione fuit ſtipulata, nec Rex Philippus Secundus, & Princeps ejus Filius eidem nunquam aſſenſerant, niſi ſub illa clauſula reverſionis, ſic ut recuperando illa feuda, eadem ſunt reverſa in priſtinam naturam legitimi patrimonii lineæ Philippi Secundi, ac ut talia ſemper fuere recenſita, nonobſtante donatione, & præſertim quod ad Hannoniam ſpectat. Nam ſi idem ipſum conſideremus ut allodium, dum ceſſum & donatum fuit ſub illa clauſula reverſionis, manet equidem in priori ſuâ qualitate patrimonii: & ſi feudum eſt patrimoniale, ſic in eâdem qualitatis eſſentiâ ad Donatorem revertitur. Poſſet etiam dici hoc ipſo

quo

quo feudum eſt, non potuiſſe legitimè donari; dum certum eſt, quòd parentes in Comitatu Hannoniæ per actum juridicum nequeant diſponere, niſi per modum exhæredationis; ſic quomodocumque rem expendas fundamenta Gallorum penitus vacillare intelligas. Sed otioſum ſit diutiùs moribus iſtis conſuetudinariis inhærere, & contumelioſum Principibus, jura eorum tam debili ac inæquali ſtaterâ librare.

Hac in parte minimè omiſſum volo, Lectori obiter egregium artificium proponere, quo Gallia iniquæ ſuæ cauſæ adulteratum quoddam pondus addere voluit, authoritatibus planè emendicatis, & doloſâ quadam ſolertiâ aſtutè ſibi vendicatis. Author jurium Reginæ Chriſtianiſſimæ ingentes ſuas ex iis machinas & belli moles nobis opponit, creditque Lectores plumbeos, hebeteſque reddere ſpecioſis ſuis Academiarum (quas Gallia conſuluit) & Doctorum nominibus, qui undique accerſiti opiniones Chirographo ſubſcripto confirmarunt; & ſi ei credere velimus, ſententia noſtra condemnatoria unanimi omnium celebriorum Juriſperitorum Suffragio eſt decreta: ſed quia jam diu conſuevit nunquam in vera ſua periſtaſi acta referre labilem ejus memoriam ſublevandam ſuſcipio, & Scriptorem illum reminiſci volo, rectè ſciri Academias quaſdam in rei veritate clandeſtinè fuiſſe exploratas, Doctoreſque nonnullos ex præcipuis ſollicitatos opiniones illas ratificare & præfulcire: aliquos technis ſuis circumvenerunt, qui in præſentiarum inconſultam ſuam facilitatem deteſtantur; alii acrioribus oculis rem inſpicientes, nihil ſuper re tam vagâ, aërcâ, ac malè enodatâ voluerunt decernere: propoſita eis fuit quæſtio ſub nominibus fictis ſeu mutatis, ſine cognitione facti in veris terminis de quo jam agitur: nulla fuit acta mentio, controverſiam moveri de ſupremis Dominiis, quorum aliqua ſunt feuda ab Imperio moventia, & alia ab eodem independentia: celabantur eos actus & clauſulæ Renuntiationis, æquè ac ejuſdem cauſæ & fines: eos ſemper latuit eandem fuiſſe ſtipulatam Tractatu Pacis inter Reges ſancito, & pactam fuiſſe ratione fœderis connubialis, inſeparabilis à pactio-

ne Pacis : nunquam illis facta fuit mentio causarum quas Gallia dederat pro dilatione solutionis dotis promissæ, accuratè cautum fuit ne eis innotesceret, bona illa (de quibus quæstio) fuisse inter se individuè unita lege fundamentali Status, & nullis in medium adductis principiis stabiliendo solidè cuiquam judicio idoneis : solùm eos percunctati sunt super Jure Devolutionis, similibusque quæstionibus, utrum Patri liceat alienare bona in præjudicium Juris Devoluti ad suos liberos, utrum Filia possit renuntiare successioni devolutæ, an minorennis queat ob læsionem enormen in integrum restitui, utrum renuntiatio facta contemplatione merâ dotis, debeat servari, quando Dos non fuit constituta de bonis Paternis, solutioque ejus non fuit subsecuta, & sic de cæteris. Ipsi propositionibus istis responderunt secundùm dispositiones Juris communis, & usum communem consuetudinum localium. Sed unde fit, quòd Scriptores Galli, qui opera sua tot tantisque infructuosis farserunt allegationibus, non ausi sunt nonnullas earumdem consultationum authoritates expromere, quæ procul dubio (si ad rem pertinuissent) plus vigoris & præstantiæ obtinuissent, quàm id omne quod in libellis suis attulere. Sed causam hujus silentii facilè conjicias, quòd eas nimirum persuadere vulgò non possent, nisi pariter vanam fallacis suæ administrationis illusionem in lucem proderent, & omnem earumdem authoritatum machinam in nihilum redigerent, dum toti mundo palàm innotesceret easdem indirecto modo fuisse emendicatas.

Verùm ut eos planè de hoc gradu dimoveamus lubenti animo assentiemur, ut controversia illa in veram suam speciem reducatur, eademque deferatur judicio omnium celebriorum Academiarum Europæ, exceptis his quæ præoccupatione mentis, aut communi Patriæ obsequio nequeunt excogitare quod debent, aut ingenuè effari quod excogitant.

Huic igitur Articulo dilemmate finem imponamus, quod clarè evidenterque probat Galliæ Reginam nullum planè jus ha-

habere, quacumque ex parte negotium inſpiciatur: ſive enim Devolutio in ſupremis Principatibus locum obtinet, ſive non. Si enim illa in iiſdem admittitur, Succeſſores Catharinæ legitimi exiſtunt Hæredes & Domini univerſarum illarum Ditionum, quæ conſuetudini illâ ſubjiciuntur, quod extra controverſiam eſt: Verùm ſi Devolutio nihil obtinet reſpectu feudorum Dominantium, omnia jura quæ Gallia hoc nomine ſibi vindicat, manent penitùs extincta: quo pacto univerſa hæc ingens titulorum inventionumque congeries quam tantâ ſollicitudine collegit ad ſtabiliendum jus Reginæ Chriſtianiſſimæ, nihil omnino operaretur (quantumvis receptum) niſi in favorem tertii, & ubi credidit egiſſe cauſam Reginæ, non niſi in gratiam Ducis Sabaudiæ peroraſſe cenſebitur.

ARTICULUS VI.

Demonſtratur quantùm intereſt Principum Chriſtianorum huic Bello ſe adjungere: Tractatur etiam de obligatione præciſa, quâ tenetur Imperium ad præſtandam indemnitatem, ſeu garantiam Circulo Burgundico.

DUæ omninò cauſæ ſunt quibus Chriſtiani Principes ad defenſionis noſtræ ſollicitudinem debent excitari: una eſt ratio proprii Statûs, ac ſecuritatis; altera ſtrictæ Juſtitiæ vinculum; illa omnes omninò Europæ univerſæ Principes complectitur; hæc eos ſolùm qui ad Imperium pertinent: illa ad providentiam ſpectat; hæc obligationi poſteriorum, legibus Imperii fundamentalibus, & poſtremæ Pacis Weſphalienſis tracti-

ctatibus adjuncta & coalita adhæret, mutuoque nexui, quo vasti illius corporis membra invicem innexa sunt, in quo ejus quies ac stabilitas resident.

A primo igitur, quia latiùs fuso, & hoc quidem tempore longè pluris æstimari solito, exordium faciemus, atque hinc sensim ipsa rerum series nos ad alterum deducet, ut tàm istorum, quàm aliorum oculis subjiciamus rem ipsorum apud nos agi; eisdem ipsos, quibus nos fluctibus agitari, & oppressionem nostram ipsorum exitium fore.

Hìc profectò de jure gentium omnibus communi sarto tectoque tuendo agitur, nè ea in Orbem inducantur agendi principia, quibus humanum commercium funditùs everteretur, & hominum societas ac mores redigerentur ad ferarum immanitatem. Agitur de tutandâ publicâ pactorum fide contra subdolos juris cavillos, de legibus Belli, inter omnes gentes communi consentione stabilitis, in suo robore conservandis; de amovendo à conspectu Christiani Orbis exemplo perniciosissimo, juxtà quod imbecilli traderentur in prædam Potentibus, visque ac arma, spretâ omni ratione, controversias omnes dirimerent: agitur de cursu sistendo rapidissimi torrentis, ad cujus impetum cohibendum, neque Pax, neque Matrimonia, neque Jusjurandum, nec conjunctio Sanguinis, nec affinitas, nec amicitiæ vincula, nec humanitatis officia sat firmi, excelsique sunt aggeres: agitur de tuendo communi Europæ propugnaculo adversùs cupiditatem quamdam immensam, quæ solâ acquirendi libidine exsuscitatur, in solâ dominationis satietate quiescit, armis duntaxat, & astu operatur, nec limitem sibi ullum præfigit, nisi quem Mars & Fortuna præscripserint, denique de Europæ Dominatu alea jacitur; ferenda sententia est, an libertati restituenda, an perpetuæ servituti mancipanda sit.

Hìc ego omne quo in partes Austriacas trahor studium tantisper deponam, ac me aliter in hoc Articulo non spectabo, quàm ut Civem Orbis, & ne fides mea privati in partes studii suspecta sit,

ſit, nullis utar argumentis, quàm quæ ex Authoribus Gallis hauſero.

A quo tempore viſum eſt Æterno Numini, ad eum ſupremæ inter mortales dignitatis apicem, Auſtriacam Familiam evehere, ut liverent invidis oculi, ſtatim apparuere naſcentia in oculis Gallorum injuſtæ iſtius æmulationis ſemina, ex qua omnes, quibus à tot annis Europa conflictata fuit, tumultus & depopulationes ſcaturiêre. Potiſſima Gallorum cura fuit ut livoris ſui contagium latè ſpargerent; exhibuere ſcilicet Principibus omnibus hujus Auguſtæ Domûs Potentiam velut monſtrum quoddam horribile, quod apertis faucibus ad omnes devorandos hiaret; oſtentaverunt verò ſeſe tanquam ſolos Heroës, qui Perſei inſtar catenatam, ut ajebant, ac periclitantem Europam ab hujus monſtri Chimærici, quod ipſis in vanum terriculum erexerant, furore liberarent: verùm experiendo didicimus non fuiſſe ab ipſis injectam de Auſtriacâ Potentiâ ſuſpicionem, niſi ut ſuam attollerent, nec incuſſum terrorem, quàm ut ſubſidia ſua redderent neceſſaria, nec oblatam ab ipſis protectionem, quàm ut Dominatum aſſequerentur, eoſque ambitionis ſuæ inſtrumenta redderent: Complures ſe ſe induxere in hos caſſes incauti, ac ut fictum periculum evaderent, in veram voraginem ſeſe præcipites dedere; hac arte tantum promoverunt ut magna Europæ pars in Caroli V. Invictiſſimi Cæſaris Fortunam ac Bellicam virtutem, & Filii hæredis ſapientiæ perſpicaſiſſimam aciem, inſurrexerit; & tota hæc molitio unico fundamento fuit innixa, quod Autores Galli incredibili animi contentione firmare conati ſunt, in quo aſtruendo Dux Rohanenſis, in Tractatu *de Politicâ Principum Chriſtianorum ratione*, omnem ingenii vim exeruit, *Duas ſcilicet eſſe Dominationes in Orbe Chriſtiano, quæ duo veluti poli ſunt, à quibus in alios omnes Status Pax Bellumvè quâdam influxione deſcendunt*. Undè ad cæterorum Principum directionem hoc elicit dogma, ad quod omnia conſilia & operationes ſuas referant, ut operam nimirùm dent, quam queunt maximam, ut binæ illæ potentiæ, tam æquali utrimque pondere

libratæ maneant, ne qua ſeu negotiatione ſeu Armis notabiliter prævaleat, & in hoc tanquam æquilibrio aliorum Regnorum & Statuum quietem ac ſecuritatem conſtituit: licet verò hoc principio ad privatos Galliæ fines ſubdolè abutatur, ut cæteros Principes hiſce præſtigiis excitatos, in Galliæ retia agat, fatendum eſt tamen, hoc dogma ſaluberrimum eſſe, & ſolidæ veritatis, quo ſi Europæ Principes, eò quo par fuerat animi robore, ac prudentiâ uſi fuiſſent, Europa in præſens tot turbinibus jactata, profundiſſimâ tranquillitate frueretur: atqui permulti in hac falſa hypotheſi erravere, rati potentiam Hiſpanorum, vaſtaſque horum deſignationes, longè magis formidandas, quàm omnes Gallorum conatus, adeòque Gallorum lanci plurimum adjiciendum ut æquis momentis ſtatera conſiſteret.

Haud ægrè quidem mihi perſuadeo neminem in præſens reperiri, tàm tardi aut hebetis ingenii, qui tàm craſſum errorem non excuſſerit, quo à recto propriæ Statûs rationis tramite, ſeducti fuerant; ſed ut hanc quæſtionem ex ipſo fonte, & circumſtantiis penitiùs indagandam eruamus, operæ pretium videtur Statum Hiſpanici Imperii, qui regnantibus Carolo V. & Philippo II. Florentiſſimus fuit, & rationem Gubernandi, quam hi Principes tenuere, cum eo qui nunc eſt Gallorum ſtatu, & agendi normâ componere; hoc verò objecto oculis uno velut obtutu parallelo, manifeſtò liquebit, quidquid ab Hiſpanis Panico timore metuebatur, nunc à Gallis juſtè prudenterque pertimeſcendum, avertendumque.

Ut quidem hæc res diſputando poſſit eluceſcere, expendendus utriuſque Monarchiæ ſitus, Principum & populorum quibus dominantur indoles, principia ipſa quibus ipſorum adminiſtratio velut in cardine vertitur; addendum quæ labentibus annis retrò præteritis egerint, quæque nunc agunt, & hæc quidem prolixo ſermone eſſent latè deducenda, ſed id ſolum tangam quod ad negotium in quo verſamur præcisè pertinet, concluſiones ex his conficient Lectores, pro innatâ ſibi ſolertiâ. Hiſpanorum Monarchia, ingens eſt veluti machina, quæ quidem

ſubverti facilè nequit, verùm nec foris expeditâ facilitate moveri, vaſtitate molis ſuæ impedita; ſitùs hujus Imperii quippe marium ambitu, Pirenæorumq́ue prærupto vallo cœptus ad tuendum ſe ab externâ vi commodus quidem, verùm ad vim aliis inferendam minùs accommodatus, quia membra præſtantiſſimi corporis, non ſunt inter ſeſe loco conjuncta, idcircò ut alia in alia ſuccum, & ſpiritus influant; tranſportandæ ſunt Claſſes per vaſta Oceani & Mediterranei ſpatia, & vel injuriis ventorum, atque procellarum, vel inconſtantiſſimi Elementi furori expoſitæ ſunt, ideòq́ue eorum conatus tot caſibus obnoxii, quot mare tempeſtatibus, certis providentiæ legibus gubernari non poſſunt: adjunctio Imperii ad Sceptri Hiſpanici potentiam, in perſonâ Caroli V. obex potiùs Auſtriacæ Magnitudini, quàm incrementum potentiæ fuit: intricatus eſt unà cum Imperio, contentionibus, quæ tunc vel ad Religionem attinuere, vel Statum, quæ quidem vitio temporum hominumq́ue ſuſcitatæ ſunt plurimæ, in quibus non ad proprium, ſed alienum commodum vires vigiliaſq́ue conſumpſit. Uno verbo dictum ſit, ea Monarchia viſa eò Divinitùs deſtinari, ut cæterarum omnium propugnaculum foret, contra Turcas quidem, quà in Hungariâ, quà Italiâ, contra Mauros in Hiſpaniâ, contra Gallos verò Italiam, Germaniamq́ue tutatur: ſed ex adverſo tam potentis viciniæ, quâ Monarchia Hiſpanica cincta eſt, invicta vis, repagulum eſt validiſſimum, quo ipſamet cohibetur ne ultra fines ſibi præſcriptos poſſit exilire. Ab ſitu loci non abhorret Principum ingenium, manſuetudo ipſis adgenita, ad virtutem nati, & ſi quis in iis nævus deprehendi unquam potuit, non alius certè fuit quàm exuberantis clementiæ.

Avidus quidem veræ gloriæ fuit Carolus V. at quàm eſſet ab omni ambitione remotus, id luculentis prodidit argumentis, cùm Imperium reſignavit in Fratrem, & omnes Ditiones ſuas in Filium; utilitatis verò nihil ad ſe tot victoriis tranſtulit, præter victoriæ laudem, ſuorumq́ue Statuum conſervationem.

Ad Philippum ſecundum quòd attinet, vel ipſius Ducis Roha-

hanensis assensu alienum ab armis gerebat animum, nec iis unquam usus est, nisi ut sua tueretur; vel ut eos deprimeret, quorum artibus alebatur in Imperiis suis seditio. Hæc duo prorsùs incompatibilia sunt eodem simul tempore Philippum exhibere, tamquam à Bello alienum, & simul dilatandi Imperii cupidine flagrantem. Philippi posteri, tantâ fuere clementiâ præditi, ut animi robur quo pollebant, numquam orbi innotuisset, nisi propriæ defensionis necessitas illud suscitasset è latebris, & quasi ab invito extorsisset.

Hispania autem, cæterique Austriacæ Dominationis subditi, quietis amantes sunt, à rerum novandarum prurigine liberi, sortè suâ contenti, nec ad vicinos ulla ex parte infestandos propensi: si verò ad ea principia, quæ secuti sunt Reges Hispani, animum advertamus, clarè deprehendemus ea, modo agendi, quem sibi Principes alienorum rapiendorum cupidi præscribere solent, è diametro fuisse opposita.

Primum ipsorum dogma fuit, pactorum fidem religiosissimè colere, quæ certè frenum est potentissimum cuivis Principi, qui de propagandis Imperii terminis, cogitat, cùm eum *verbi sui mancipium efficiat*. Ne unus quidem reperire est, à Carolo V. ad nostram usque ætatem, qui ullam pactionis legem violarit, qui prior moverit Bellum, aut ad proferendos Regni limites, alienam Pacem turbaverit.

Alterum principium est, Religionem ab Hispanis, omnibus Statûs rationibus & compendiis semper fuisse prælatam, neminem verò præterit, tantam verè Christianam fortitudinem, regulis omnibus & praxi ambitiosorum repugnare, quibus usitatum est, sectas omnes ad privatos fines suos utiliter applicare.

Tertium est quòd nihil unquam victoriis suis ultra quàm ad se Jure pertineret, sibi vendicarint, nihilque ex tot subjugatorum hostium spoliis, suo Dominatui, accrescere permiserint, quàm quòd legitimo Successionis Jure fuerat Devolutum.

Quartum quòd semper ex legum præscripto imperarint, nullâ

Ju-

Jurium, aut immunitatum immutatione, quòd apud ambitiosos politicos, crassissimum contra ipsorum regulas saperet errorem, nimirum nisi supra omnes se leges sustulerint, se in suos Dominari non putant, nihilque ipsis antiquiùs est, quàm ut domestica vincula perfringant, quæ ipsorum foris progressus possent remorari.

Quintum nullo fœdere, aut pactione, aut Pace cum hoste communi Christiani nominis conjungi; atqui neminem latet, nihil magis repugnare consiliis, de subjugandâ Europâ, quàm præpotentis istius Asiæ Principis, vel provocare odium, vel amicitiam aspernari: hisce adjiciamus, in capessendis consiliis, maturam circumspectionem, ex qua consequitur tarditas, ambitiosis conatibus prorsùs exitiosa, in quibus fortunam potiùs ac celeritatem, quàm prudentiam moderatricem adhiberi decet, quo circa Gallicus Scriptor non illepidè, *Si ad Monarchiam universæ vel Europæ, vel orbis adspiraret Hispania, consultum fore, ut à Deo impetraret ne Mundus tam citò properaret ad finem*: *Malherbe in suis Epist.*

Gallia verò Regnum est, cui membra sunt omnia inter sese conjuncta, & hæc quidem sobolescentia in hominum incredibilem copiam, in commerciis industria gens, quæ quisquiliis, crepundiis, ac novitatibus exterarum nationum divitias emungit: adsunt ipsi ad Oceanum ac Mediterraneum celeberrimi portus, nullaque in finitimis gentibus, sat conspicua firmaque ad coërcendum ejus impetum apparet potentia, si Austriacam exceperis.

Gentis Gallicæ genius ad Arma tractanda promptus, fervidus, inquies, rerum novandarum percupidus, acquirendi studio flagrans, magnâ pollens activitate, & ad ea quæ concupierit executioni mandanda solers & expeditus, ad omnia denique media quæ fini, quem sibi præscripserit consequendo, conducant excogitanda & amplectenda prompti & versatilis ingenii.

Ratio porrò Gubernationis, quatenus quidem, tam ex præteritis, quàm ex modernâ agendi ratione, & ex Gallis Scriptoribus, ipsoque Duce Rohanensi colligi potest, sequentibus nititur principiis.

Primum; Bellum foris perpetuò alere, ſuamque Juventutem vicinorum impendio in Armis exercere.

Hoc ſubtiliſſimæ politicæ principium, ipſorum quidem utilitatibus mirè accommodatum eſt, cæteris verò gentibus, præſertim finitimis prorsùs infeſtum: & re ipsâ, gentis indoles diuturnum Pacis otium ferre nequit, pabulum huic igni neceſſarium eſt, ſi foris non offertur, depaſcetur ſua viſcera. Huic innatæ propenſioni, accedunt conſuetudines nonnullarum Galliæ Provinciarum, & ratio familiarum Illuſtrium, tantum primogenitis diſtribuere ſolita, ut poſtnatis propèmodum præter gladium & induſtriam reliquum ſit nihil; ac uti ad litterarum tractandarum ſtudium, pauci vel naturâ proclives, vel Ingenio facti ſunt, ſic non ſinit genus ſuum ad artes mechanicas dejici, nihil infœlicibus ſupereſt, niſi Bellum aut graſſatio, ut à miſeriâ emergant, undè evenit ut hoc Regnum Juventute ſemper otiosâ, & fervente redundet, ad quodlibet facinus accincta, & in omnes occaſiones intenta, quibus audaciam ſuam alieno diſpendio celebret: pernicioſa licentia, quâ per mutuas cædes ſingulari certamine inanem fortitudinis laudem ſectabantur jam æquis ac ſeveris edictis coërcita eſt: ſubdolæ induſtriæ aſtus, quo imminenti neceſſitati occurrebant, ipſis jam magnâ ex parte interdictus, at eo ipſo quo nequit domi evaporari ſtomachi fuligo, Politici Galli operæ pretium duxerunt, flammæ præcordiis incubanti, ne ea depaſceretur, viam aperire, quâ ſe ignis evolveret.

Huc accedit, quod cum Regni Galliæ proventus, maxima ex parte in privatorum penu reſideant, nec immenſæ contributiones Pacis tempore exigi poſſint, quin publicum odium provocetur, neceſſarium omninò eſt, oppreſſorum populorum animos, aliquo ſaltem novæ acquiſitionis fumo paſcere, & novas ſemper texere cauſas, conſervandi augendique militis, ut ejus ſupercilio prodigioſa prorsùs & effrenis Regia authoritas, extra legum fundamentalium limites tam enormiter elata, contra quoſvis obnitentium auſus ſecura reddatur.

Cùm

Cùm nullâ unquam ratione Principum & Procerum aviditati, fieri poſſit ſatis, adeoque ab Henrici III. ætate conſtitutum ſit, eos qua fieri poſſet deprimere, nihil ad hoc profectò expeditiùs poteſt excogitari, quàm eos Bellis externis tenere implicitos, & injectâ vanæ gloriæ eſcâ, muniis ſibi ſuiſque fatalibus occupare.

Alterum Gallorum axioma eſt, quaquâ viâ, ſe in aliarum gentium negotia ingerere, ubique terrarum arbitrium controverſiarum, ſibi vel vendicare, vel arrogare, etiam iis temporibus quibus conſtat, ipſos cum litigantibus eſſe fœdere ac ſocietate conjunctos, prout antehac in negotio Monaſterienſis Epiſcopi, nunc verò in Britanno-Hollandico. Nulla prorsùs vel noſtrâ, vel majorum noſtrorum ætate diſſenſio nata eſt, in qua non ſe adjunxere alteri diſſentientium parti; nulla controverſia fuit, quam ad ſe quæſitâ procul Juris ſpecie, aut mendicato prætextu non traxerint; Neque verò ulla vel natio, immò vel Urbs, vel minimum dedit ad rebellionem indicium, quin è veſtigio ſocium ſe ac fœderatum ultrò Gallus obtulerit: at verò docuit uſus, nulli Bello Gallos fuiſſe permixtos, niſi ut acerbarent diſſidentium animos, neque ulli pactioni interveniſſe, niſi ut novarum litium ſemina jacerent.

Supervacaneum ſit, innumera quæ exſtant exempla ſigillatim revolvere, cùm nemo ſit in antiqua Hiſtoria tàm peregrinus, qui hæc ultrò non videat, ac fateatur, & noviſſima geſta id abundè comprobent, ultimis hiſce Germaniæ bellis, in quæ protectionis obtentu ſe immiſerant, ſibi ipſis nihil quærere, præter Fœderatorum commoda pluribus conteſtabantur, ubi tamen res ad Chriſim perducta eſt, Alſatiam ab Imperii corpore avulſere, eodem prorsùs aſtu, quo ſub Henrico tertio tres Imperii præſtantiſſimos Epiſcopatus abſtulerant.

Tertia Gallis gubernandi regula eſt, ſolam Statûs ſui utilitatem præ oculis habere, ſpretâ pactionum fide, neglecto Religionis bono, calcatis amicitiæ, ſanguinis, affinitatiſque vinculis, quod quidem Principium Dux Rohanenſis, pro baſi operis ſui

his verbis constituit. *Principes imperant populis, ratio status Principibus.* Quidquid immanes Turcæ in Christianos, ab Imperio Francisci primi, ad nostram usque ætatem gessere, vel promovere, id acceptum referre debent fœderi quo Gallis consociati sunt, scilicet si quid adversus communem Christiani nominis hostem, aliquis moliretur, ex templo Gallus aliò arma vertebat, ne posset victor prosequi palmam: quamquam verò Protestantes plurimùm in secundis rebus suis Galliæ debeant, non omittit tamen Gallia, arcanâ spe inescare Catholicos, ut ipsius potentiam suspiciant, velut unicam quæ nullis capitulationibus adstricta, Sectas omnes in Ecclesiæ gremium queat reducere. Ut verbo omnia complectar, indignè abutuntur, & in pravos Monarchiæ suæ usus detorquent Apostoli Pauli dogma, quo ad Christi Regnum propagandum usus est, *factus sum omnibus omnia*, atque ut hic ad omnium se mores fingebat, ad ingenia omnium ut fleret cum flentibus, cum gaudentibus gauderet, hi simulatâ quadam sancti hujus consilii imitatione, sese ad omnium hominum rationes & genium accommodant, ut eos sibi subjiciant, ipsamque Religionem, quoties cum ratione statûs colliditur, propriis utilitatibus immolant: nimis sunt in ore, & in oculis hominum, quæ huc pertinent à Gallis gesta, quàm ut recenseri necesse sit, & novissimum cum Turcis bellum multa nobis dicenda suppeditaret, nisi modestia silentium imponeret.

Quartum Gallorum axioma est, externas Nationes vel inter sese, vel domi certè bello implicitas tenere, quod Britannia, Imperium, Italia, Dania, Hispania ipsa, funestis sanè eventibus, & nunc quidem Polonia, ac Batavia miserabili experientia docuere.

Hæc omnia Reipublicæ administrandæ principia, propriè ambientium dominatus sunt, in iisque latere cognoscitur, designatio quædam altè impressa, diuque informata, universas qua fieri possit gentes, Imperio suo subjiciendi. Majores quidem Christianissimi Regis, vastis illis Ideis coronidem imponere nequiverunt, vel bellis Civilibus occupati, vel potentiæ Hispanicæ mo-

le deterriti, vel Regiâ ipsorum authoritate, justis hinc limitibus coarctatâ: nunc verò redactis in servitutem subditis suis, vicinis gentibus per varias divisiones inter sese commissis, nihil ipsis superest, quàm ut tertium obicem dejiciant, hoc est ut oppressâ Hispaniâ, ex hujus Monarchiæ ruderibus, gradum sibi sternant ad cæteras gentes obruendas: ut hoc assequerentur, necessarium inprimis erat, ut nos spe Pacis & amicitiæ, injectâque fœderum escâ, sopitos tenerent, ad hoc alendum erat sollicitè Lusitanicum bellum, ut lento velut igne Monarchia consumeretur Hispanica, Lusitanica verò necessitate subsidii Gallis obnoxia redderetur, ad hunc quoque finem expediebat, Britannos inter ac Batavos suscitare dissidia, illaque variis artificiis alere, ut hisce potentiis, in mutuas plagas intentis, Gallia per Belgium impunè grassari posset. Expediebat etiam semina dissentionum in Imperio jacere, privatis fœderibus, quæ sub Pacis Germanicæ titulo, viam Gallis aperiunt ad ejus oppressionem, & Imperio aditum obstruunt, debita pretiosissimo membro suo subsidia ferendi: faciebat eodem in factiones Poloniam distrahi, ut Septentrionis Statûs ac Principes sollicitos tenerent ac impeditos, & arma Imperatoris ad ditionum suarum limites excubare cogerentur: neque alienum erat, ab eodem Consilio, nec Religioni quidem Catholicæ arctè adhærere, sed pro temporum opportunitate, nunc Moguntino auxilia mittere, adversùs Erfordiam, tùm Palatino contra Moguntinum favere, quæsita ubique ex alienis damnis propriâ utilitate.

Hic tacitò prætererire non licet, recens facinus, ad propositam mihi materiam plurimùm conducens, quamquam prævideam tanto Lectori meo horrori fore, quantùm scribenti mihi incutit. Gallia ad ferendas Provinciis Unitis suppetias, vi mutui fœderis adstricta, post varias interpellationes, rebus tandem suis convenire censuit, aliquam saltem auxilii speciem, præmemoratis Statibus contra Anglos ostentare. Lex hujus Gallo-Batavici Fœderis, hæc erat præcipua, neutri partium liceat de Pace vel induciis cum hoste communi, absque fœderati scitu vel con-

ſenſu agere, nedum paciſci, eaſdemque ſecuritates ac ſatisfa-ctiones quas pars principalis belligerans, pro ſe obtinebit, Fœderatis quoque ſuis procurare teneatur. Huic legi paruere Batavi eâ Religione, ut quamquam umbratica tantum obtinerent à Gallis auxilia, & conditionem ſuam, per ſeceſſionem à Gallis, longè meliorem reddere potuiſſent, nunquam tamen aures eo præbere ſuſtinuerint, Galli è contra numquam deſtitere, ab arcanis cum Anglia commerciis, operâ Comitis à S. Albano, pro ineunda Pace introductis. Et cùm crebræ tabellariorum Londinum Pariſiis feſtinantium miſſitationes, juſtam Provinciis Unitis moviſſent ſuſpicionem, Gallica Aula non ſolùm Fidem ipſi ſuam diſertis authenticiſque verbis denuò obſtrinxit, ſe nulli unquam Pacis propoſitioni, niſi in ipſo communium congreſſuum loco, aures præbituram, ſed & Legato ſuo Comiti de l'Eſtrades, in commiſſis dedit, ut ſi ipſi fortè, tamquam Legato fides non haberetur, (tam magnificè nempè de Legationum ſuarum authoritate ſentiunt) poſito Legati tantiſper titulo, privato nomine fidem ipſis ad hoc ſuam obſtringeret, egregiam oppidò in decus Oratoris commendationem, quâ fraudis expers Judicatur, ubi larvatam Miniſtri Gallici Perſonam depoſuit, ita ut proſtituta miniſterii dignitas à propria Legati integritate, novum cogatur mendicare ſplendorem. Proſperè tamen ipſi evenit, quòd tam inconſultæ cautioni non temerè commiſerit fidem ſuam, ſecus enim jam in ſolidum reus haberetur, & fraudulenti miniſterii proprio nomine pœnas daret, quippe nihil exploratiùs eſt, quàm à Britanno Gallum eò dextrè perductum, ut ſecluſis Fœderati Belgii Ordinibus, ac ſine ſociorum ſcitu, nedum conſenſu, aut ullâ ad generales Tractatus relatione, ſpeciale Pacis projectum cum Anglia concluderet, quodque omnem fermè fidem ſuperat, vix dum coaluerat illa Pax, quâ Galli ab omni contra Anglos hoſtilitate abſtinere tenebantur, cùm illicò operam omnem Gallus eò convertit, ut Provincias Unitas, ad claſſem in mare celeriter deducendam, inſtigaret, fide Hollandis datâ, fore ut eidem adjungeret ſuam, pactis

etiam

etiam novâ cum Statibus conventione, quæ ad hanc conjunctionem pertinebant, legibus. Si ad tale facinus Europa non erigatur, non erit profectò quòd calamitates in ipsam resilituras imputet Gallis, qui tot manifestis fluxæ fidei suæ documentis, eam ab errore quo seducta est revocare satagunt.

Hæc quæ supra adduxi Gallorum principia, eorum propriè sunt, qui ad supremum Dominatum, Jure, Injuriâ, vi doloque nituntur: verùm procedendi ratio, eo formidabilior, quo magis velox & expedita, nulloque Justitiæ respectu, nullâ vicinorum Interpositione tractabilis; non amplius in hoc Bello obtendere ipsis licet, metum aut æmulationem Austriacæ potentiæ, quâ præteritis invasionibus, aliquo prætextu decorandis, olim usi sunt. Jam ipsos pudet ridiculum illud spectrum, affectatæ ab Hispaniâ Monarchiæ universalis vulgò ostentare, nullam amplius, prout aliàs ex Germaniæ Protestantium querelis, aut Unitarum Belgii Provinciarum fœderibus eruere possunt, bellandi orbisque turbandi materiam, omnisque ipsis sublata prorsùs occasio, quâ alienæ utilitatis specie dominandi pruritum exerceant, hoc unicum supererat, ut ex ipso Pacis Sanctuario, haurirent Belli semina, & dissentionum causam in hoc conjugio fundarent, quod ipsismet fatentibus, ad Pacis unionisque perennitatem unicè fuerat institutum.

Ex hactenùs dictis, quivis facilè assequetur, vastas Gallorum machinationes, longè ultra Belgii Dominatum extendi, in illas quidem Provincias primum hostilem impetum ferri, velut externa vicinorum Statuum munimenta, ut iis dirutis faciliùs penetrent in valli interiora. Maximam Germaniæ partem, velut antiquum ac inalienabile Galliæ Dominium, editis in publicum Libellis sibi vendicant, in Hollandiæ verò Status jam sibi præjudicium statuunt, Regum abdicationibus in totum abolitis, & Devolutionis Jure, ad Suprema Dominia producto; inhiant Hispaniæ Portubus, ineunt in Imperio fœdera, distrahunt factionibus Poloniam, Anglos Hollandosque Bello involvunt, aditus Italiæ tenent obsessos, & absolutum ubique arbitrium

trium affectant. Propriam quietem in aliorum agitatione, gloriam in prædâ, & in publicâ miseriâ fœlicitatem suam constituunt. In his quidem politicæ ut aiunt rationis suæ ductum bellè sequuntur, profectò cæterorum est, rerum quoque suarum satagere, & ad genuinam proprii cujusque Statûs regulam consilia sua metiri.

Reliquum est ut aliquid de obligatione disseramus, quâ propriè Imperium ad Circuli Burgundici tutelam obstringitur, pauca ex multis delibabo, cum jam hæc quæstio, authentico Cancellariæ Imperialis Instrumento definita sit, & qui eam Ratisbonæ agitavit, paucis verbis tam altè penetrarit in rei medullam, ut nec addendi necessitatem, nec opponendi locum reliquerit. Profectò, nihil à me lectum unquam memini, frigidiùs aut steriliùs, quàm quòd non ita pridem, huic solidæ & energicæ demonstrationi, Gallicus Scriptor reposuit, nihil enim est, quàm acervus inanium verborum, malè inter se coagmentatorum, ubique aberrat à scopo, difficultatis nodum declinat, præcipua quæ sibi opponuntur Argumenta, ne attingit quidem, & puerili circulo id ipsum in quo controversia velut in cardine vertit, pro explorato habet ac concesso; quodque magis admiratione dignum, latè in querimonias effunditur, quasi hoc Scripto suspicio ingeneretur, aliquid Christianissimum Regem moliri in Circulum Burgundicum. Haud luculentiori sanè Argumento poterant, Belli quod nunc in Belgio geritur, iniquitatem propalare, quam dum conceptam à nobis antehac hujus invasionis suspicionem, offensæ loco reputant, & velut calumniam à se amoliuntur. Quid autem Scriptor iste nunc proferet, cùm in totius Europæ conspectu, id omne palam sit, quod præsagitione prævidimus, & nunc probet eventus, quod tunc conjecturâ consequebamur. Quâ quæso fronte nunc poterit id æquum & honestum pronuntiare, quod paulò antè, velut turpissimum facinus abominabatur, de quo ne quidem nobis citra enormem injuriam dubium movere liceret. Nunquid ipsum vana exclamatio, in quam inconsultò prorupit, rubore suffundet,

aut

aut quasi Christianissima Regia Majestas, in animo haberet eumdem Circulum, Armis aggredi & invadere, tunc nempè piaculum erat, vel solùm opinari id posse contingere, nunc verò, si Superis placet, majus erit scelus apud ipsos, mirari id evenisse.

Sed ut ut sit, nemini omninò dubium est, quin Circulus Burgundicus, membrum sit Imperii, ipsius adversarii assensio, probandi necessitatem excludit: neque verò eumdem fugere potest, quin eo nomine idem Circulus ad ferenda universo corpori, ejusque membris subsidia, & ad contributiones quæ ad Imperii defensionem decerni solent, pro designatâ sibi quotâ erogandas teneatur, quod quidem à Serenissimo Hispaniæ Rege, antè & post Monasterienses Tractatus liberaliter & supra quam potuit flagitari, præstitum fuisse nemo inficias ibit. Et vero juxta Juris regulam, qui onera sentit, debet etiam & commoda experiri, secus enim hujus Circuli ad Imperium adjunctio Leoninæ societatis naturam & effectum sortiretur. Nemini etiam dubium est, quin hoc garantiæ seu communis defensionis vinculum, mutuum sit, ac reciproco nexu utramque partem vinciat, adeòque quisquis eâ lege obstringitur, ut ad omnes casus & contra quoscumque hostes Imperio subveniat, huic vicissim ab Imperio contra quosvis aggressores mutua debentur auxilia.

Constat prætereà Belgium, Monasteriensi Pace tanquam Circulum Imperii comprehendi, eoque nomine Jura omnia, & prærogativas quibus cæteri Circuli fruuntur, meritò competere, & quotquot ex Pace, quâ reciproca defensio stabilita fuit, promanarunt fructus & commoda, ipsi cum cæteris esse debere communia.

Nihil est prorsus, quod Galli contra veritatem adeò manifestam possint obgannire, nisi quidam Articulus eadem Pace sancitus, pravè intellectus, & absurdâ interpretatione in perversum sensum detortus, *de mutuis hostibus non juvandis*, quo invicem obligantur, ne Gallia Imperii, aut Imperium Galliæ hostibus auxilio sit.

Hanc conventionem palam violavit Gallus immisso in Episco-

pum Monasteriensem, ejusque Episcopatum Imperii membrum exercitu, Belgii ordines insuper exstimulando, ut Monasteriensem Diœcesim, conjunctis Armis, ferro flammâque vastarent.

Ad pleniorem hujus Articuli notitiam, advertendum est, hanc conventionem inter corpus Imperii indivisim ab una, & Galliam ex alterâ partibus, initam esse, quâ mutuò sese obstringunt, ut neutra pars alterius hostibus ferre queat suppetias, hinc quidem Imperium cum membris suis unam partem paciscentem constituit, Gallia verò cum toto Provinciarum suarum ambitu alteram. Idcirco quoties sancitur, ne Galliæ hostes tueatur Imperium, id non aliter quàm de externis debet intelligi, nec ad Imperii membra (quæ nempè ipsum Imperii corpus & partem cum Gallia paciscentem simul conficiunt) ullâ ratione potest extendi, quibus Imperium antecedenti, naturali, & indispensabili lege, subvenire tenetur. Secùs enim si in eam quam Galli innuunt acceptionem detorqueretur hic Articulus, eodem prorsùs Argumento inferre liceret, quòd si Imperium aliquam aggrederetur ex Provinciis Gallicis, reliqua ejus Regni membra eidem opem ferre nequirent, illæsâ *de non juvandis hostibus* pactione: ad hæc si Galli reponant omnibus hisce Provinciis unum Galliæ Regnum contineri, in promptu est retorsio, unum scilicet ac indivisum Imperii corpus decem similiter circulis conflatum esse, & quoties Gallia unum ex iis oppugnat, oppugnat Imperium universum; non secùs ac totius Galliæ Regni hostis reputatur, qui vel unam ex ejus Provinciis armis impetit. Eas itaque voces, *mutui hostes*, de extraneis dumtaxat intelligi debere evidentissimè constat, ne (quod absurdissimum dictu sit) obligaverit se Imperium se suaque membra, contra Gallicos insultus omni præsidio destituendi, cogaturque oculis suis videre diram membrorum suorum divulsionem, nec liceat auxiliatricem manum laboranti & gemiscenti parti porrigere. At quis non videt hoc casu non præberi auxilium hostibus Galliæ, sed vim ipsimet Imperio à Gallis illatam vi contrariâ repelli, si ea clausula *de hostibus non juvandis*, adeò latè sit extendenda, ut om-

nes omninò complectatur, quibus ulla cum Gallis dissensio poterit intercedere, ea certè clausula eamdem vim, quoad cæteros Imperii Circulos, quam contra Burgundicum prætendunt, eodem jure obtinebit; neque adeò ullum erit Imperii membrum, cui spes ulla supersit auxilii ab Imperio contra Gallicos insultus obtinendi. Si verò hanc clausulam ad solam Circuli Burgundici à communis defensionis beneficio exclusionem restringere præsumant, demonstrandum esset ex Pacis instrumento, Circulum hunc, quamquam Imperii membrum declaretur, esse tamen de eorum hostium ordine ac numero, quibus Imperio non liceat adversùs Gallos ferre suppetias, Circulos verò reliquos ab hac lege exceptos, aut propriâ quâdam immunitate Privilegioque supra Circulum Burgundicum extolli: verùm cùm neque Pacis Tractatu, neque Constitutionibus Imperialibus, Circulus Burgundicus infrà cæterorum dignitatem & privilegia dejectus unquam fuerit, imò eâdem prorsùs prout alii ratione ac titulo, Pace & Juribus ab ea promanantibus comprehensus, evidens est quòd clausula *de non juvandis hostibus*, vel extendi debet ad omnes Circulos, vel à Burgundico excludi. Cæsareæ Capitulationis instrumentum rem adhuc clariùs elucidat, & omnem dubitandi ansam præscindit, cùm non aliter Articulum *de non juvandis hostibus*, admittat, quàm sub expressâ reservatione garanthiæ communis, in Pacis instrumento declaratæ, ex quo clarè liquet, pactum *de non juvandis hostibus*, nullatenùs derogare præviæ obligationi, quâ omnes Circuli Imperii ad mutuam defensionem obstringuntur. Quidquid Gallicus Scriptor contrà perspectas adeò veritates deblaterat, futilia sunt & inania verba, & scripto recens edito tàm clarè confutata, ut operæ pretium non sit lucem luci addere.

Hæc omnia Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii optimè comperta sunt, nec adeò propriæ dignitatis sunt obliti, ut ad manifestum Jurisdictionis suæ, in oppressione Belgii violatæ contemptum obriguerint, aut ad pericula ipsorum cervicibus ex clade nostrâ impendentia, cæcutierint: verùm pro circumspectâ, quâ uti solent agendi ratione, inconsultum duxerunt ad exem-

plum Gallorum, litis exordium ab executione ducere, ſatiùs arbitrati blandiora priùs tentare media antequam ad extrema ſe cogi paterentur: ſed nimiâ præditi ſunt ingenii perſpicacitate, quàm ut diutiùs imponi ſibi laturi ſint, vagis indiſtinctiſque reſponſis, quibus Gallia inani Pacis obtentu, omnes ipſis ad eam conciliandam, & negotium penitiùs inveſtigandum aditus obſtruit; cùm enim nonnulli Imperii Principes Aulæ Galliæ propoſuiſſent inducias ad controverſiam dirimendam abſolutè neceſſarias, nihil præter repulſam contemptu pleniſſimam retulere; ad propoſitam verò mediationem, ſpem dubiam; ad tempus & locum ad congreſſus opportunum, nihil omninò affectatum præter ſilentium, vano hoc uſi effugio, quòd præliminariter exhibenda ſit ex parte Regis Catholici Plenipotentia, antequam de modo, normâ ac congreſſuum circumſtantiis quidquam poſſint definire: rem planè ridiculam. Cùm in uſu perpetuò fuerit de normâ priùs tractandi convenire, quàm aut Plenipotentiarii deſtinentur, aut producantur Plenipotentiarum inſtrumenta. Ad hoc operam Galli dant quam poſſunt maximam, ut eoſdem Principes falsâ hac imbuant opinione, Sereniſſimam noſtram Reginam omnem ipſis ad Pacem aditum præcluſiſſe, reſponſum ab ipsâ datum, quo omnem conteſtatur promptitudinem ad Legatos eo quò viſum fuerit deſtinandos, eorumque deciſioni ſtandum, quos Arbitros eligi contigerit, ſubdolè ſupprimunt. Hiſce omnibus ſpretis, ſoli Plenipotentiæ inſiſtunt, eam unicè urgent, antequam conſtet, quò Plenipotentiarii mittendi ſint, aut cujus arbitrio res dirimenda, exhibitis verò Plenipotentiis, innumeros ad quaſvis ſyllabas comminiſcentur ſcrupulos, & ſi vel comma unicum deſideretur, illicò Hiſpaniam ſpretæ Pacis ream pronuntiabunt, interim indeſinenter Arma promoventur, & indies exacerbatur vulnus, ac eo ipſo quo Galli debita Imperii auxilia hoc ſtratagemate remorantur, Gallica interim arma graſſantur impunè, eòque rem redigere ſatagunt, ut omnia deinceps auxilia nobis inutiliter ceſſura ſint, nec priùs amici noſtri revocentur ab errore, quàm ubi res eò deſ-

desperationis erit adducta, ut nobis prodesse, ipsis obesse nequeant.

Unicum hisce malis remedium superest, ut ea amplectamur principia, quæ subvertendis adversariorum artibus & cuniculis opportuna censentur: integris in nos utuntur uniti Regni viribus, eodem certè unionis vinculo in communi causâ tuendâ debemus copulari: ipsorum quies in nostrâ perturbatione sita est, juvat ideò securitatem nostram in ipsorum depressione firmare, ut iis ungues ac nervos succidamus, quibus animum nocendi nullâ ratione valemus adimere: solam in causæ præsidium violentiam adhibent, nihil superest quàm ut vim vi repellamus. Vanè nos Pacis spe lactant, eò redigendi sunt, ut ad eam seriò amplectendam vi necessitatis adigantur: denique cùm palàm sit eos in omnium fortunas conspirare, nihil reliqui est, quàm ut omnes communi causæ accedamus, nec securitatem nostram reponamus in Cyclopis gratia, quæ felici quidem, sed portentoso prorsùs & nunquam deinceps sperando eventu prosperè cessit Ulyssi.

FINIS.